


ЛАТИНСКАЯ ХРИСТОМАТІЯ,

составленная

из классических древних писателей,

съ русскими примѣчаніями и словарем.

Издана

при

Университетском Благородном Пансіонѣ.

И. Д.

МОСКВА.
Въ Университетской Типографіи.
1822.

Печатать дозволяется съ тѣмъ, чтобы по отпечатаніи, до выпуска въ продажу, представлены были въ Цензурный Комитетъ: одинъ екземпляръ сей книги для Цензурнаго Комитета, другой для Департамента Министерства просвѣщенія, два екземпляра для Императорской публичной Библіотеки и одинъ для Императорской Академіи Наукъ. Москва, Января 23 го дня 1822 года. *Ординарный Профессоръ, Докторъ Философіи, Коллежскій Совѣтникъ и Кавалеръ Михаилъ Каченовскій.*



ПРЕДУВѢДОМЛЕНІЕ.

Христоматіи, составляемыя для древнихъ языковъ, имѣютъ и защитниковъ своихъ и противниковъ. Одни выборъ изъ разныхъ писателей порицаютъ, полагая, что учащіеся не могутъ изъ отрывковъ познакомиться съ духомъ языка, которому лучше научаемся изъ чтенія одного избраннаго автора; другіе сего рода книги одобряютъ, думая, что удобнѣе почерпаются разнообразныя свѣдѣнія изъ нѣсколькихъ писателей. Если тѣ и другіе отчасти справедливы: то, согласивъ однѣ только выгоды обѣихъ сторонъ, достигнемъ желаемой цѣли.

Ученый Гедике, составившій сію Христоматію изъ Федра, Цицерона, Ливія, Плинія, Геллія, Колумеллы, Цельса, Езопа, Плутарха и другихъ писателей, въ полной мѣрѣ исполнилъ таковое предположеніе: онъ умѣлъ соединить ученіе языка съ образованіемъ вкуса, нравовъ и разсудка. Для совершенствованія въ первомъ, старался онъ вездѣ объ изяществѣ языка, что очевидно изъ самыхъ источниковъ, откуда всѣ мѣста заимствованы; дабы съ языкомъ преподать ученіе нравственности, избралъ онъ черты изъ древней Исторіи, живо изображающія превосходство добродѣтели; для укрѣпленія разсудка посредствомъ знаній, служатъ остроумныя притчи и наблюденія надъ природою и человѣкомъ. Въ послѣдо-

ваніи избранныхъ мѣстъ соблюдена постепенность, въ отношеніи къ трудности и языка и описываемыхъ предметовъ.

Для Русскаго юношества, начинающаго учиться Латинскому языку, издана сія Христоматія съ переводомъ примѣчаній и Словаря. Сверхъ того почелъ я нужнымъ приобщить къ изданію Нѣмецкаго ученаго статьи, относящіяся къ Исторіи и Древностямъ Римскимъ изъ Ливія, чтобъ чтеніемъ сей книги приготовить учащихся къ труднѣйшему разбору Латинскихъ писателей.

Употребленіе сей Христоматіи совершенно будетъ полезно, когда учащіе поставятъ правиломъ не только разбирать и переводить помѣщенныя здѣсь статьи, но вмѣстѣ и заставлять оныя выучивать. Симъ способомъ учащіеся непримѣтно получатъ навыкъ изъяснять мысли свои на Латинскомъ языкѣ и познакомятся со множествомъ любопытныхъ и важныхъ предметовъ. Выучивая разобранныя мѣста, можно имѣть поводъ и случай говорить о полезномъ и пріятномъ, и говорить хорошо.

Издатель.

ОГЛАВЛЕНІЕ.

Стран.

I.

УПРАЖНЕНІЯ ГРАММАТИЧЕСКІЯ.

1. Terra *est* *rotunda* *et* globosa.
Leo *est* generosus.
Lupus est rapax, crudelis et insatiabilis.
Cervus est timidus.
Vulpes est astuta.
Ovis est patiens.
Lepus est timidus.
Canis fidelis est et docilis.
Felis est blanda et insidiosa.
Luscinia est canora.
Formica laboriosa est.

---

2. Omne animal sensus habet.
Hominis figura omnium animantium formam vincit.
Homo constat duabus partibus, animo et corpore.
Habemus quinque sensus: visum, auditum, olfactum, gustum, tactum.
Videmus *oculis*, *audimus* *auribus*, *olfacimus* naso, gustamus *lingua*, sentimus toto corpore.
Caecus non cernit, surdus non audit, mutus non loquitur.

---

3. Quatuor sunt elementa: ignis, aër, aqua, terra.
Quatuor plagae caeli sunt: oriens, meridies, occidens, septentrio
Quatuor sunt anni tempestates: ver, aestas, autumnus, hiems
Ver est amoenissimum anni tempus.
Vere virescunt arbores in silvis hortisque, et gramen atque flores in pratis.
Aestate seges matura demetitur et horreis conditur.
Autumno colliguntur uvae et arborum fructus.
Autumno decidunt folia arboribus.

Autumno venator in silvis insidiatur leporibus, cervis, apris, ceterisque feris.

Hiems nive tegit agros et flumina glacie.

---

4. Sol terram luce sua illustrat.

Sol lucet interdiu, luna splendet noctu cum stellis.

Luna lucem a sole accipit.

Sol multo major est quam terra.

Lunae magnitudo minor est quam terrae.

Luna varias mutationes lucis habet.

Cometae rari et ob hoc mirabiles sunt.

---

5. Aër terram cingit.

Nubes pendent in aëre et terram pluvia irrigant.

In nubibus gignuntur fulgura.

Terra fert arbores, flores, variosque fructus.

Terra vestita est floribus, herbis, frugibus.

Alii flores delectant odore, alii solo colore.

Fontes montibus decurrunt

Altissimi Europae montes in Helvetia inveniuntur.

Orbis terrarum divisus est in terram continentem et mare.

Mare terram cingit.

Aqua marina est salsa.

Terra est plenissima medicamentorum salutarium.

Sub terra nascuntur metalla.

Aurum est gravissimum omnium metallorum.

Ferrum, metallum utilissimum, in omnibus fere terris reperitur.

Omnis arbor in tres partes dividi potest, in radicem truncumque et ramos.

Vinum nonnisi in calidis regionibus provenit.

Quaenam terrae abundant bono vino? Gallia, Hispania, Pannonia.

Germania antiquissimis temporibus carebat vino.

Uvae Hispaniae sunt dulciores quam Galliae.

Gemmae Indiae sunt pretiosiores gemmis Europae.

---

6. Animalia eunt, currunt, saliunt, repunt, volant, natant.

Aves volant sub nubibus.

Pisces natant in aqua.

Quaedam animalia totam dormiunt hiemem.

Animalia armis a natura sunt instructa, quibus se contra vim defendunt.

Arma animalium sunt cornua, dentes, ungues, rostra, ungulae.

Bos se defendit cornibus, equus pedibus, aper dentibus.

Alimentum feris praebent gramina, herbae, radices, folia, frumenta, caro

Tegumenta et vestimenta animalium sunt varia.

Alia animalia habent pilos, ut equi, boves, canes; alia villos, ut ursi; alia lanam, ut oves; alia setas, ut porci; alia pennas, ut aves; alia squamas, ut pisces; alia cutem valde lubricam, ut serpentes.

Hominem vehit equus, alit bos, vestit ovis, custodit canis.

Hominem imitatur simia.

Castor mirificam domum sibi aedificat.

Ursus arbores ascendit.

Ursi habitant in frigidis regionibus Europae.

Talpa sub terra habitat.

Visus non deest talpae.

Aper auditu antecellit hominem, aranea tactu, vultur odoratu, lynx visu, simia gustu.

Asinus et mulus portant onera, equus nos ipsos, camelus mercatorem cum mercibus.

Quaenam animalia sunt omnium fidelissima? Canis et equus.

Quaenam regiones abundant bonis ovibus? Hispania et Britannia

Animalia utilissima sunt etiam frequentissima.

Quaenam animalia maximum usum praebent hominibus? Equus, bos, ovis.

Equus terram arat, plaustra trahit, hominem vehit.

Equi Arabum et Anglorum sunt celerrimi.

Dens elephanti dicitur ebur.

Omnes aves sunt bipedes.

Aves rapaces longissime prospiciunt.

Ululae et vespertiliones noctu volant.

Aquilae nidificant in petris.

Pavo pulchrior est quam ceterae aves, non utilior.
Luscinia delectat cantu.
Anserum pennae sunt perutiles.
Ciconiae non nocent serpentes.
Quaenam aves sub hiemem avolant in peregrinas terras? Ciconiae, grues, coturnices et multae hirundines.
Insectorum utilissima sunt apes et bombyces.
Bombyces, qui foliis aluntur, ex Asia in Europam allati sunt.
Apes parent reginae suae.

---

7. *Columba* est pavida.
Columbae collum est versicolor.
Columbae insidiatur accipiter.
Columbam infestant pulices.
o *Columba* quam munda es!
in Columba nulla est malitia.
Columbae sunt aves domesticae, cicures et pavidae.
Columbarum ova sunt mollia.
Columbis datur hordeum.
Columbas terret strepitus.
o *Columbae* quam mundae estis!
a Columbis plurimi excluduntur pulli.

---

8. *Cervus* alta cornua habet.
Cervi celeritas est magna.
Cervo insidiantur venatores.
Cervum canes fugant.
o *Cerve* quam timidus es!
a Cervo canes superantur celeritate.
Cervi in silvis habitant.
Cervorum carne vescimur.
Cervis interfectis pelles detrahuntur, ex quibus variae res conficiuntur.
Cervos rusticus non amat.
o *Cervi* quam graciles estis!
a Cervis sata saepissime depascuntur.
Asinus lentius quidem, sed tutius incedit, quam equus.
Ex pelle asini conficitur charta Pergamena.
Asinum contemnunt immerito: est enim animal utilissimum.

Asino multi populi, imprimis Orientales, carere non possunt.
Pisces extra aquam vivere non possunt.
Piscium fecunditas est magna.
Piscibus minoribus insidiantur majores.
Pisces capimus hamis, retibus et nassis.

---

9. Fructus plerumque autumno colliguntur.
Magna est varietas fructuum.
Fructibus saepe nocent vermes et aves.
Fructus maturos medici commendant aegrotis.
O quam suaves estis, fructus arborum!
Fructibus arborum delectantur pueri et senes.

---

10. Socrates sapientissimus Graecorum ab oraculo judicatus est.
Celeberrimi discipuli Socratis fuerunt Plato et Xenophon.
Socrati innocenti nocuit invidia improborum hominum.
Socratem probum mali homines accusarunt.
o Socrates! egregium fuisti exemplar industriae, probitatis, constantiae.
e Socrate discitur, quemadmodum injuriae sint ferendae.

---

11. Tempus est vel praeteritum vel praesens vel futurum.
Praeteritum tempus nunquam revertitur.
Dies dividitur in viginti quatuor horas.
Annus complectitur duodecim menses, quorum quidam triginta habent dies, Aprilis, Junius, September et November, reliqui vero unum et triginta, praeter Februarium, qui duodetriginta, et anno intercalari undetrigina dies continet.
Christiani annos numerant a nato Christo, Judaei a mundo condito.
Seculum est spatium centum annorum, Olympias spatium quatuor annorum.
Hebdomas constat diebus septem.
Primus dicitur dies Solis.
Secundus nominatur dies Lunae.
Tertius appellatur dies Martis.
Quartum vocitant diem Mercurii.
Quintus dies nomen traxit a Jove.

Sextus vocatur dies Veneris.
Septimus dicitur dies Saturni.

---

12. Terra dividi solet in quatuor partes. Hae sunt Europa, Asia, Africa, America.

Nostris temporibus multi quinque terrae partes numerant. Quinta terrae pars continet regiones et insulas in oceano australi sitas, quae recentiori aetate inventae *) sunt.

Europa, quam nos incolimus, minima quidem pars terrae est, sed frequentissima.

Europa minor quidem, sed potentior et doctior est quam Asia, Africa et America

America longior est quam Asia.

Americam invenit Christophorus Columbus sub finem seculi decimi quinti.

America majores habet fluvios quam Europa.

Dania fertilior est quam Suecia.

Italia amoenior est quam Germania.

Laudantur lana Hispaniae, stannum Britanniae, pelles Russiae, ferrum Sueciae, electrum Borussiae, frumentum Poloniae, gemmae et aromata Indiae.

*) inventae.

---

13. Jupiter erat deus caeli, Neptunus deus maris, Pluto deus inferorum. Vulcanus erat deus ignis, Mercurius nuncius deorum, et deus eloquentiae, mercatorum et furum. Mars erat deus belli, Aeolus deus ventorum, Saturnus deus temporis, Pan deus pastorum; Diana dea venationis, Ceres dea frugum, Minerva dea sapientiae et artium, Flora dea florum, Proserpina dea inferorum.

---

14. Historia dividi solet in antiquam, mediam et novam.

Antiquissimis temporibus imperium Aegyptiorum celeberrimum fuit.

Sesostris permultas terras Europae, Asiae et Africae sub potestatem suam redegit 1).

Ninus primus Assyriorum rex fuit.

Amazones erant mulieres bellicosae.

Bellum Trojanum per decem annos duravit.

Celeberrimi antiquitatis populi fuere Graeci et Romani.

In Graecia nulla fuit urbs celebrior Athenis.

Celeberrimi legislatores olim fuerunt Minos Cretensis, Lycurgus Lacedaemonius, Solon Atheniensis, Numa Romanus.

Romulus, auctor imperii Romani, Romam condidit 2) anno DCCLIV. a. Chr. n.

Tarquinius Superbus fuit ultimus Romanorum rex.

Cyrus, ex Cambyse et Mandane natus, imperium Persarum condidit anno DLIX a Chr. n.

Graeci multas artes invenerunt et excoluerunt.

Romani multa a Graecis didicerunt 3).

Tempore Augusti, qui primus Romanorum imperator fuit, Christus, auctor religionis Christianae, natus est 4).

Constantinus M. primus fuit imperator christianus.

A Constantino Constantinopolis nomen traxit.

Carolus V seculo decimo sexto p. Chr. n. regnavit.

Seculo decimo septimo bellum triginta annorum gestum est 5), quod totam fere Germaniam devastavit. Tandem pax Westphalica finem huic bello imposuit 6).

Fridericus II, rex Borussorum, maximam Silesiae partem occupavit.

Germani magnam gloriam merentur propter inventiones rerum utilissimarum. Invenerunt enim typographiam, pulverem pyrium, antliam pneumaticam, multaque alia.

1) redigere. 2) condere. 3) discere. 4) nasci. 5) gerere 6) imponere.

---

15. Artificem commendat opus.

Artem quaevis terra alit.

Honores saepe mutant mores.

Per risum multum debes cognoscere stultum.

Fortuna est vitrea, splendet, sed saepe frangitur.

Maximum bonum est mens sana in corpore sano.

Propria laus sordet.

Bis dat, qui cito dat.

Consuetudo est altera natura.

Acti labores jucundi *).

Ira furor brevis **).

Verae amicitiae sempiternae sunt.

Honor est praemium virtutis.
Memoria praeteritorum malorum jucunda est.
Amicus certus in re incerta cernitur.
Edere oportet ut vivas, non vivere ut edas.
Beatus esse nemo potest sine virtute.
Sapientia saepe est etiam sub palliolo sordido.
Dulce est pro patria mori.
Somnus est imago mortis.
Audi multa, loquere pauca.
Discere non est turpe, sed discere nolle.

*) sc. sunt. **) sc. est.

~~~~~~~~

II.

БАСНИ.

(Изъ Езопа и Федра).

1. *Сила привычки.*

Vulpes et Leo.

Vulpes nunquam leonem viderat. Quum huic forte occurrisset, ita exterrita est, ut paene moreretur 1) formidine. Eundem 2) conspicata est iterum. Tum extimuit 3) quidem, sed nequaquam ut antea. Quum tertio illi obviam facta esset 4), adeo imperterrita fuit, ut auderet accedere propius et colloqui cum eo.

1) mori. 2) idem. 3) extimescere. 4) fieri.

2. *Наказанная алчность.*

Mulier et Gallina.

Mulier vidua gallinam habebat, quae quotidie unum pariebat 1) ovum. Quum autem uno ovo non esset contenta, sed plura cuperet, gallinam diligentius curare et saginare coepit, sperans fore, ut bina quotidie aut terna ova pareret. Verum spes eam fefellit 2). Quum enim gallina cibo superfluo nimis pinguis facta esset, desiit 3) etiam semel die ova parere.

1) parere. 2) fallere. 3) desinere.
~~~~~~~~

3. *Странное желаніе.*

Testudo et Aquila.

Testudo aquilam magnopere orabat, ut volare sese doceret. Rem petis, aquila inquit, naturae tuae contrariam. Qui poteris volare, quum alas non habeas? Testudo autem nihilominus obsecrare aquilam perrexit 1), ut se volucrem faceret. Ungulis igitur eam illa arripuit 2), sustulit 3) in sublime, ibique dimisit 4), ut per aërem ferretur 5). Sed quum in rupes decidisset, comminuta interiit 6).

Huic testudini multi homines sunt similes. Cupiunt, quae cupere non debent, et respuunt consilia prudentiorum. Sed saepissime stultitia sua in perniciem ruunt.

1) pergere. 2) arripere. 3) tollere. 4) dimittere. 5) ferre. 6) interire.

4. *Привязанность къ жизни.*

Senex et Mors.

Senex ligna in silva ceciderat 1). Igitur fasce sublato 2) domum redire coepit. Quum autem defatigatus esset et onere 3) et itinere 4), deposuit 5) ligna, et secum considerans miserias senectutis et inopiae, clara voce invocavit Mortem, ut se ab omnibus malis liberaret. Tum Mors exaudivit preces illius; venit enim et quid velit percontatur. At senex, territus nec *jam mori cupiens* 6): Nihil sane, inquit; sed *requiro aliquem, qui onus mihi paullulum allevet.*

1) *caedere.* 2) tollere. 3) onus. 4) iter. 5) deponere. 6) cupere.

5. *Награжденное трудолюбіе.*

Rusticus quidam moribundus, qui nullas habebat divitias, quas relinqueret filiis, excitare animos illorum voluit ad studium agrorum culturae, et ad assiduitatem laboris. Convocavit igitur eos, et ita allocutus 1) est: Filii mei! videtis, me a vobis mox discessurum esse 2). Omnes, quas habeo, divitias in vinea, quam vobis relinquo, quaeritote. Haec quum dixisset 3), senex paullo post moritur. At filii quum crederent, illum in vinea alicubi abscondisse thesaurum, totum vineae solum effodiunt. Frustra. Thesaurum inveniunt nullum. Sed, quum terra fodiendo perculta 4) esset, vites uberrimum fructum tulere 5).

1) alloqui. 2) discedere. 3) dicere. 4) percolere. 5) ferre.

6. Трудности и опасности высшихъ состояній.

Equus et Asinus.

Equi fortunam laudabat asinus, quod copiosissime pasceretur, quum sibi ne paleae quidem post gravissimos labores abunde satis praeberentur. Bello autem forte exorto 1), in proelium ab equite 2) agitur equus, et circumventus ab hostibus tandem saucius collabitur. Asinus haec omnia conspicatus, equum, quem paullo ante fortunatum esse censuerat 3), et cujus sorti inviderat, miserum jam et infelicem esse judicabat.

1) exoriri. 2) eques. 3) censere.

7. Наказанное коварство.

Mulier et Ancillae.

Mulier vidua, quae texendo vitam sustentabat, solebat ancillas ad opus excitare, simulac galli cantus auditus erat. At illae, diuturno labore defatigatae, statuerunt gallum domesticum interficere. Quo facto 1) inciderunt in deteriorem conditionem. Nam domina, de hora incerta, saepius 2) media jam nocte famulas excitabat.

1) fieri. 2) saepe.

8. Наказанное тщеславіе.

Graculus et Aves.

Jupiter, avibus regem daturus, diem constituit, qua convenirent ad ipsum. Tum graculus, suae sibi deformitatis conscius, pennas, quae aliis avibus exciderant, collegit 1) seque illis ornavit. Ubi dies illuxit 2), Jovem 3) adiit, varietate illa superbiens. Ceterae autem aves, veritae 4) ne Jupiter, forma illius delectatus, regnum ei deferret, indignabundae graculum circumsteterunt 5), coeperuntque suas quaeque pennas ei evellere. Quo factum est, ut ille regno sperato excideret 6), furtivisque coloribus spoliatus ab omnibus derideretur.

1) colligere 2) illucescere. 3) Jupiter. 4) vereri. 5) circumstare. 6) лишиться.

9. Наказанная неуслужливость.

Equus et Asinus.

Agitabat quidam equum et asinum, onustos sarcinis. Asinus fessus itinere 1) rogavit equum, ut aliquam sui

oneris partem susciperet. Sed equus preces illius repudiavit. Paullo post asinus, fatigatione ac labore consumptus, in via corruit et efflavit animam. Agitator igitur omnes, quas asinus portaverat, sarcinas atque insuper etiam pellem asino detractam 2) equo imposuit 3). Tum ille, deplorans fortunam suam, Me miserum, inquit, qui quum parvulum onus in me suscipere recusaverim, nunc tam grave onus ferre cogor, et insuper pellem comitis mei, cujus preces tam superbe contempsi 4).

1 iter. 2 detrahere. 3 imponere 4) contemnere.

10. Не всѣ такъ думаютъ, какъ говорятъ.

Lupus et Mulier.

Esuriens lupus ubique circumivit, cibum quaerens. Tandem audit intra casam rusticam puerum plorantem et matrem interminantem, ni desinat, lupis eum se velle projicere. Lupus hoc dicto, ad spem cibi excitatus, totum diem adstitit 1), exspectans, dum puerum mater projiceret. Sed vesperi haec, reconciliata puero, eidem blandiebatur, et, Mi pupul, inquit, bono sis animo. Lupum, si venerit, obtruncabimus. Tum lupus tristis atque deceptus 2) abiens, In ista, inquit, domo aliter loquuntur, aliter sentiunt.

1) adstare 2) decipere

11. Братское согласіе.

Fratres.

Inter filios rustici cujusdam grave dissidium ortum erat 1). Diu frustra operam impenderat pater hortans, ut pacem atque concordiam colerent. Tandem filios considere, certumque virgularum numerum sibi afferri iussit 2). Quo facto 3) omnes in unum fasciculum colligavit, eumque constrictum 4) singulis filiis obtulit 5), ut in eo frangendo vires suas tentarent. Illi omni adhibita vi, incassum laborarunt, nec quidquam profecerunt 6). Mox pater nodo discisso 7), singulas illis virgulas confringendas dedit, id quod nullo negotio perfecerunt 8). Tum senex eos sic allocutus est 9): Haec res, filii, vobis exemplo sit. Tuti eritis ab inimicorum injuriis, quamdiu vos amabitis. At simulac facta erit dissensio gliscetque discordia, inimicorum praedam futuros vos esse scitote 10).

1) oriri. 2 jubere. 3) fieri. 4) constringere. 5) offerre. 6) proficere. 7) discindere. 8) perficere. 9) alloqui. 10) scire.

12. *Нерѣдко слабые бываютъ полезны сильнымъ.*

Leo et Musculus.

Circum leonem dormientem lascive discurrebant musculi, quorum unus in dorsum ejus insiliit. Captus 1) hic a leone experrecto 2) excusavit imprudentiam, et pollicitus est 3) si vitae parceret, gratias se ei habiturum. Leo etsi erat ira commotus 4), ignovit 5) tamen musculo precanti, et tam contemptam 6) bestiolam inviolatam dimisit. Paullo post, incautius praedam vestigans, in laqueos incidit leo, quibus adstrictus 7) rugitum maximum edidit 8). Accurrit musculus, cernensque vinculis illum teneri, qui sibi nuper vitam petenti concessisset 9), arrepsit 10) ad laqueos, eosque corrosit 11). Hac ratione quum leonem omni periculo liberasset, Tibi, inquit, ludibrio eram et despectui, quasi nullum cuiquam 12) vicissim beneficium praestare possem. Nunc scias posse et murem 13) gratiam referre.

1) capere. 2) expergisci. 3) polliceri. 4) commovere. 5) ignoscere. 6) contemnere. 7) adstringere. 8) edere. 9) concedere. 10) arrepere. 11) corrodere. 12) quisquam. 13) mus.

13. *Глазъ хозяина.*

Cervus in bovili latitans.

Cervus, latibulis suis excitatus, ut venatorum tela effugeret, caeco timore proximam villam petiit et opportuno se bovili condidit. Tum bos latenti, Desipis, inquit, qui ultro ad necem cucurreris 1), hominumque tecto vitam commiseris 2). At ille supplex, Vos modo, inquit, parcite mihi Occasione data rursus erumpam. Quum advesperasceret, pabulum bubulcus affert, nec videt illum. Eunt et redeunt 3) omnes rustici, Nemo animadvertit. Transit etiam villicus: nec ille quidquam sentit. Tum gaudens cervus bobus 4) quietis gratias agere coepit, quod hospitium sibi praestiterint 5) nec prodiderint 6) ipsum. Respondit unus: Salutem tuam cupimus quidem: sed si venerit ille, qui oculos centum habet, vita tua in magno periculo versabitur. Interea ipse dominus a coena redit, et quia boves macros esse nuper animadverterat, accedit ad praesepe et, Heus, inquit, cur pabuli parum est? Cur desunt 7) stramenta? Tollite haec aranea. — Dum singula scrutatur, cervi quoque alta cornua conspicatus est. Convocat igitur familiam; occidi jubet latitantem praedamque tollit.

Haec fabula docet, dominum videre plurimum in rebus suis.

1) currere 2) committere. 3) redire. 4) bos. 5) praestare. 6) prodere. 7) deesse.

14. *Щастіе въ свободѣ.*

Lupus et Canis.

Quam dulcis sit libertas, breviter proloquar. Cani perpasto occurrit forte lupus macie confectus 1). Salutant se invicem; et lupus, Unde quaeso, inquit, sic nites? Aut quo cibo tam pinguis factus es? Ego, qui sum longe fortior, pereo fame. — Canis respondit: Eadem tibi erit fortuna, si domino par officium praestare poteris. — Quod? inquit ille. — Custos ut sis liminis 2), et noctu domum a furibus tuearis. — Ego vero sum paratus: nunc enim patior nives imbresque, in silvis asperam vitam degens. Quanto facilius est sub tecto vivere, et largo satiari cibo. — Veni ergo mecum. — Dum procedunt, adspicit lupus collum canis a catena detritum 3). Unde hoc, amice? — Nihil est. — Dic quaeso tamen. — Quia videor acer, alligant me interdiu, ut luce quiescam et nox quum venerit, vigilem. Crepusculo me solvunt. Tunc qua visum est, vagor. Ultro mihi afferunt panem; de mensa sua dat ossa dominus; frusta jactat familia. Sic sine labore venter meus impletur. — Age vero, si quo abire vis, num licet? — Non plane, inquit. — Fruere 4) *igitur, canis, ista felicitate tua, quam mihi laudas. Equidem regnare nolo, si carendum est libertare.*

1) conficere. 2) limen. 3) deterere. 4) frui.

15. *Страсть къ подражанію.*

Asinus domino blandiens.

Asellus quum vidisset canem domino suo blandiri et de mensa ejus saturari quotidie, sic est locutus: Si canem immundissimum adeo diligit dominus et familia, quid mihi fiet, si par illi fecero *) officium, qui multo sum melior hoc cane, rebusque pluribus utilis et laudabilis? Alor enim fontibus puris, et nunquam sordido cibo pascor. Dignior sane sum vita beata, quam catulus iste. Asellus, dum secum haec cogitat, dominum videt intrare stabulum. Igitur occurrit ocius, rudensque prosilit, et humeris domini ambo pedes imponit, osque lingua coepit lingere; vestemque foe-

dis conscindens ungulis, stulte blandus, gravi onere herum fatigat. Clamore domini concitatur familia. Fustes et saxa arripiunt, rudentem mulcant, et mox semianimum ad praesepia dejiciunt.

*) facere.

16. *Наказанная лѣность.*

Asinus sale onustus.

Asinus sale onustus fluvium transiit, et titubans in aquam decidit. Quum surgeret, sensit 1) se nonnihil onere levatum, quod in aqua sal delicuerat 2). Ea re gavisus 3), quum postea spongiis onustus ad fluvium accederet, speravit, si rursus collaberetur 4), tum quoque fore, ut onus fieret levius. Igitur de industria lapsus est 5). Spongiis autem madefactis 6) exsurgere nequivit: et oneri succumbens interiit, aqua suffocatus.

1) sentire 2) deliquescere. 3) gaudere 4) collabi 5) labi. 6) madefieri.

17. *Не платье дѣлаетъ насъ людьми.*

Asinus et leonina pellis.

Asinus leonis exuviis indutus 1) pro leone habebatur ab omnibus, atque homines gregesque territabat. Forte autem a vento vehementius spirante detracta est 2) ei pellis leonina; qua nudatus facile dignoscebatur. Unde factum est, ut omnes accurrerent, et fustibus petulantiam ejus punirent.

1) induere. 2) detrahere

18. *Кто болѣе заботъ имѣетъ, бѣдный или богатый?*

Mus urbanus et agrestis.

Mus urbanus, exceptus 1) quondam hospitio muris agrestis, vili glande in cavo coenavit. Postea precibus effecit 2), ut agrestis mus vicissim in urbem veniret, cellamque intraret plenam rebus optimis. Hic dum variis perfruuntur reliquiis, ostium concrepuit, intrante cellario. Perterriti strepitu diffugiunt mures. Urbanus mus notis cavis facile se condit: at miser agrestis, ignota trepidans domo timensque mortem, per parietes cursitat. Quum sustulisset 3) cellarius quae volebat, foresque clausisset 4), denuo urbanus mus agrestem hortatur. At perturbatus ille, Vix, inquit, cibum capere possum prae metu. Putas ne illum rediturum? — Quid adeo times? Urbanus inquit, age, frua-

mur ferculis, quae frustra rure quaeras. Respondit agrestis: Tu, qui non times, fruere his omnibus: at me securum et liberum pascat glans.

In paupertate tutum vivere praestat, quam divitiarum sollicitudine cruciari.

1) excipere. 2) efficere. 3) tollere. 4) claudere.

19. *Не всякаго словамъ довѣряй.*

Grus, cornix et dominus.

Grus et cornix foedus junxerant 1), ut grus cornicem ab avibus defendere, cornix autem, si quid mali impenderet, grui praediceret. Deinde quum frequenter ad rustici cujusdam 2) agrum volarent, atque evellerent sata radicitus; vidit tandem agri dominus, et dolens clamat: Saxum da mihi, puer, ut feriam gruem. Cornix ut audit, illico monet gruem, qui sibi cavit. Alio deinde die audiens cornix iterum illum saxum poscentem, rursus commonuit gruem, ut vitaret sedulo periculum. Rusticus cornicem jussa audire suspicatus, puero, Si, inquit, dixero 3): Offam da, tu mihi clam porrige lapidem. Grus venit. Rusticus puerum offam dare jubet. At ille dedit 4) lapidem, quo alter gruem ferit et crura frangit. Vulneratus grus ait. Divina cornix, ubi nunc auspicia tua? cur non properasti, sicut juraveras, socium monere, *ne tale mihi eveniret* malum? Respondit illa: *Non* ars mea culpari debet, sed dolosa bilinguium consilia, qui aliud dicunt, aliud agunt.

1) jungere. 2) quidam. 3) dicere. 4) dare.

20. *Не должно презирать добраго совѣта.*

Aves et hirundo.

Aves quum aliquando in unum devenissent locum, viderunt hominem linum seminantem. Id ceterae aves pro nihilo habuere. At hirundo sic eas allocuta esse traditur: Hinc nobis omnibus periculum instat, si semen ad maturitatem venerit. Aves risere 1). Ut vero germinavit seges, hirundo rursus, Instat pernicies, ait; adeste, germina noxia eruamus; ne si mox crescant, inde fiant retia, nosque artibus hominum capiamur. Aves ridere pergunt verba hirundinis, et stulte spernunt consilium prudentissimum. Illa cauta mox ad hominem se contulit 2), ut tuta tignis nidum suum sus-

penderet. Sed ceterae aves, quae illius salubre monitum respuerant, captae retibus de lino factis pereunt 3).

1) ridere. 2) conferre. 3) perire.

21. Вѣроломство.

Volucres, quadrupedes et vespertilio.

Bellum gerebant volucres cum quadrupedibus, et modo haec, modo illa pars vincebat. At vespertilio, dubios eventus timens, utram partem vincere viderat, ad eam se semper conferebat. Inter aves avem se profitebatur, inter quadrupedes murem. Quum vero ad pacem rediissent aves et quadrupedes, fraus utrique generi apparuit. Damnatus igitur lucem refugit, et atris posthac tenebris se condidit. Inde solus noctibus evolat.

Qui se duabus venditat partibus, utrisque ingratus vitam turpiter deget.

22. Наказанная ложь.

Puer mendax.

Puer, custos ovium, saepius rusticorum opem implorare solebat, quasi lupum advenientem vidisset. Clamabat: Heus adeste, succurrite mihi! Rustici celeriter ad eum accurrunt, lupoque nusquam apparente, ad opera sua redeunt 1). Quumque puer aliquoties per lusum idem fecisset 2), mendacem eum esse deprehendunt. Tandem revera lupus irruit. Tum lacrimabundus ille et miserabili voce orare coepit, ut et sibi et gregi subveniretur. Qui audiebant, ludere illum sicut antea arbitrati, preces ejus neglexerunt 3). Ita lupus, libere in oves grassatus, gregem facile perdidit.

1) redire. 2) facere. 3) negligere.

23. Преимущества начальствующихъ.

Canis et oves.

Quum vocalia essent animalia, ovis domino dixit: Mirum facis, qui nobis, et lanas tibi et agnos et caseum praebentibus, nihil des, nisi quod ex terra accipimus, cani autem, qui nihil tibi hujusmodi affert, cibum, quem ipse habes, impertias. Haec quum audisset canis: Ita sane necesse est, inquit. Ego enim vos ipsas tueor, ne vel hominum furto pereatis 1), vel a lupis rapiamini 2). Nam, nisi ego vos custodirem, ne pasci quidem possetis, timentes ne interiretis. His dictis, oves non amplius conquestae sunt 3), canem sibi praeferri.

1) perire. 2) rapere. 3) conqueri.

24. Другъ въ крайности.

Viatores et ursus.

Amici duo quum una aliquando iter facerent, in ursum ingentem inciderunt. Quo viso 1) unus celeriter in arborem evasit 2): alter quum bestiam illam cadavera non attingere meminisset, in terram se prostravit 3), spiritumque continuit, ut nullum vitae vestigium appareret. Ursus, omnibus corporis partibus pertentatis, et ore crebro ad illius os auresque admoto 4), pro mortuo eum reliquit 5) et abiit. Tum ambo metu liberati inceptum iter prosequuntur. Inter viam autem is, qui arborem conscenderat, alterum interrogat, quidnam in aurem jacenti insusurrasset ursus. Multa, inquit ille, quae memorare nil attinet, sed imprimis praecepit 6), ne amicum esse quemquam mihi persuaderem, cujus fidem in periculis et adversa fortuna non fuissem expertus 7).

1) videre. 2) evadere. 3) prosternere. 4) admovere. 5) relinquere. 6) praecipere. 7 experiri.

25. Тяжба.

Asinus controversus.

Duo, qui una iter faciebant, asinum oberrantem in solitudine conspicati, accurrunt laeti, et uterque sibi illum vindicat, quod ipse prior conspexisset *). Dum contendunt et rixantur, asinus aufugit, eorumque se oculis subducit.

*) conspicere.

26. Довольство и недовольство самимъ собою.

Cerva vehementer sitiens quum ad fonticulum quendam accessisset, in aquis, dum potat, imagine sua conspecta 1), cornuum magnitudinem et varietatem laudabat, crura vero ut gracilia et exilia vituperabat. Haec cogitanti supervenit leo. Quo viso 2) in fugam se conjecit 3), et leonem longe praecurrit, ita ut, quamdiu in planitie esset, nullum ei ab hoste periculum immineret. Ubi vero ad nemus venit opacum, inter dumeta cornibus adhaerescens celeritate pedum uti non potuit. Igitur capta est, et moritura: O me desipientem, inquit, cui ex vana opinione ea displicerent, quae me conservarunt, placerent autem, quae perdiderunt.

1) conspicere. 2) videre. 3) conjicere.

27. *Лесть.*

Corvus et Vulpes.

Corvus alicunde sustulerat 1) carnem, et cum illa in altam arborem subvolarat. Quod quum vulpes vidisset, accurrit carnis avida ad arborem, et ita illum callidis verbis alloquitur: O, corve, quam pulchra es avis, quam speciosa! quam fortis es, quam callidus in venando! Dignissimus sane esses regno inter aves, si voce praeditus esses. Hac te carere, avem tot tantisque virtutibus exornatam, maxime est dolendum. His auditis, corvus, ut se mutum non esse ostenderet, clamorem maximum edidit 2). Tum ex aperto rostro delapsa 3) est caro, quam statim vulpes arripuit, et irridens O corve, inquit, omnibus sane naturae dotibus 4) excellis: nihil tibi deest, nisi mens sana.

1) tollere 2) edere. 3) delabi. 4) dos.

28. *Необходимость въ стражахъ.*

Oves et Lupi.

Oves lupique quum certassent proelio, illae vicerant 1) canum praesidio tutae. Lupi legatos mittunt, et justam pacem petunt hac lege, ut oves dedant canes, luporum catulos obsides 2) recipiant. Oves, sic aeternam pacem fore sperantes, faciunt, quod lupi poposcerant 3). Paullo post, quum luporum catuli ululare coepissent, lupi, necari natos suos causantes pacemque ruptam 4) esse ab ovibus, undique impetu facto invadunt oves, nudas defensoribus. Tum stultae sera poenitentia damnant consilium, quo canes hostibus tradiderant.

1) vincere. 2) obses. 3) poscere. 4) rumpere.

29. *Недоброжелательство.*

Simia et Vulpes.

Vulpem rogabat simia, ut sibi aliquid daret de caudae suae magnitudine. Quid enim, inquit, prodest tibi cauda tantae magnitudinis? Cur tantum tu pondus per terram trahis? Huic vulpes: Etiamsi multo illa longior majorque esset, tamen per terram et lutum spinasque trahere, quam partem tibi dare malim, ne meo tegmine pulchrior viderere.

30. *Двуязычіе.*

Lupus, Pastor et Venator.

Quum venatorem instantem fugeret lupus et a pastore visus esset 1), qua parte fugeret, et quo se loco conde-

ret; plenus metu, Oro te, inquit, bubulce, ne me prodas innocentem. Nihil unquam mali tibi feci. Noli 2) timere, pastor ait; alteram monstrabo partem 3). — Mox venator advolat. Nonne huc, pastor, inquit, lupum venire vidisti? Qua parte fugit? Huic pastor voce maxima 4): Venit quidem, sed laeva fugit. Et simul oculis clam dextram partem designat. Venator non intellexit 5) nutum, et festinans abiit. Tum lupum pastor interrogat: Quam tu mihi habebis gratiam, quod te celarim? Maximas, lupus dixit, linguae tuae gratias ago, at oculis tuis fallacibus aeternae noctis caecitatem imprecor.

Hac fabula describuntur ii, qui verbis blandis fraudem in pectore celant.

1) videre. 2 nolle 3) другую сторону, т. е. гдѣ его не было. 4) sc dixit. 5 intelligere.

31. *Истина и ложь.*

Simii et homines duo, fallax et verax.

Mendax et verax, simul iter facientes, forte in simiorum terram venerant. Quorum quum unus e turba, qui regem simiorum se fecerat 1) eos vidisset, teneri eos jussit 2), ut audiret, quid de se homines dicerent. Simul omnes simios longo ordine dextra laevaque adstare, sibique thronum apponi jubet, ut hominum reges facere viderat quondam. Tum homines in medium adductos rogat: Qualis *ego vobis esse videor, hospites?* Respon it *mendax:* Rex videris maximus. — *Quid hi*, quos mihi *hic* apparere vides? — Hi comites tui sunt, hi legati et militum duces. — Mendacio cum turba sua laudatus, munus adulatori dari jubet. Tum ad veracem simius: Et qualis tibi videor ego et illi, quos stare ante me vides? Respondit ille: Verus tu simius, et simii omnes illi, qui similes tui. Iratus 3) rex hunc, quod vera dixerat, dentibus et unguibus lacerari jubet.

1) facere. 2) jubere. 3) irasci.

32. *Безсильный защитникъ.*

Ciconia, Anser et Accipiter.

Quum ad stagnum venisset ciconia, invenit anserem frequenter se sub undis mergentem. Quaerit: cur hoc facere? Ille ait: Haec nobis consuetudo est; in luto escam reperimus, et sic simul tuti sumus ab impetu accipitris. — Ego multo fortior accipitre sum, ciconia inquit, mecum si

amicitiam jungere velis, illi impune insultabis. — Anser, illius se tutelae committens simul, in agrum prodit. Illico supervenit accipiter, et anserem saevis unguibus raptum devorat, fugiente ciconia. Tum anser*): Qui se patrono tam debili credidit, pejori nece perire debet.

*) scil. dixit

33. *Слабыхъ обижаютъ.*

Ovis et cornix.

Cornix in tergo ovis otiosa considens, illud rostro tundebat. Quod quum diu fecisset, ovis injuriae patiens, Hanc, inquit, contumeliam si cani faceres, ejus latratum haud ferres. Respondit cornix: Tam fortis bestiae collo nunquam insideo; nam scio quos lacessere debeam, acribus amica, at importuna inermibus.

Iis, qui lacessunt innocentes, fortes vexare non audent, scripta est haec fabula.

34. *Употребленіе юности.*

Formica et Cicada.

Formica hiemis tempore grana, quae prudens aestate collegerat, e cavo trahebat et siccabat. Hanc esuriens cicada rogat, ut aliquid sibi impertiret. Cui formica, Aestate, quid agebas? inquit. Tum illa: Non erat otium de futuro tempore cogitandi; cantans ego per sepes et pascua errabam. Ridens formica et grana referens sic ait: Si aestate cantasti, age, frigore nunc salta.

35. *Чужія опасности дѣлаютъ насъ осторожными.*

Leo senex et Vulpes.

Leo, annis defectus, morbum simulavit. Tum ad aegrotum regem visitandum plures venerunt bestiae, quas protinus devoravit. Sed cauta vulpes procul ante speluncam stabat, regem salutans. Rogavit leo, cur non intraret. Respondit: Quod video multa intrantium vestigia, at nulla exeuntium *).

Cautis pericula aliena prodesse solent.

*) exire.

36. *Ничтожная суетность.*

Pulex et Camelus.

Pulex cameli, qui multis sarcinis gravatus incedebat, dorso insidens sibi placebat, quod multo altior videretur.

Quum longum iter fecissent, vesperi ad stabulum venerunt. Pulex leviter statim ad terram desiliens, Ecce, inquit, ocius descendo, ne te gravem diutius. At ille, Gratum est, inquit, sed nec pondere 1), te insidente, gravari me sensi 2), nec te dejecto 3), aliquid habere levaminis.

1) pondus. 2) sentire. 3) dejicere.

37. *Почтительность къ родителямъ.*

Haedus et Lupus.

Capella, pastum exitura, monuit imprudentem haedum, ne aperiret ostium, quod multas feras stabula pecorum circuire sciret. Quum abiisset, advenit lupus, vocem matris assimulans, et fores sibi reserari jubet. Ut haedus audivit, lupo, per rimam spectans, dixit: Audio sonum matris, sed fallacem inimicumque te mihi esse scio. Tu sub voce matris sanguinem meum potare et carne mea satiari cupis. Vale.

Laus magna natis est obsequi parentibus.

38. *Не всѣмъ обѣщаніямъ довѣряй.*

Aquila et milvus.

Tristis in ramo sederat cum milvo aquila. — Cur vultu te tam maesto conspicio? milvus ait. — Quaero, dixit illa, conjugem parem, nec invenire possum. — Me accipe, qui multo te fortior sum. — Quid? an potes ex rapto victum quaerere? — *Quidni possim?* respondit. Saepius struthiocamelum unguibus meis prensum 1) rapui. — Inducta verbis aquila conjugem eum capit. Brevi post nuptias transacto 2) tempore, aquila, Abi, inquit, et praedam promissam 3) mihi rape. Avolat milvus, et soricem immundissimum et putridum affert. — Haeccine 4) est fides polliciti tui? aquila dixit. Cui milvus: Ego ut ad regias nuptias pervenirem, omnia, quaecunque voluisses, posse me, fidem dedissem 5), quamvis me nequire novissem 6).

1) prendere. 2) transigere. 3) promittere. 4) hic. 5) все сдѣлать обѣщался бы. 6) novisse.

39 *Нещастный всегда найдетъ нещастнѣйшаго.*

Lepores vitae pertaesi.

Qui suum malum sustinere non potest, alios inspiciat et discat tolerantiam.

Lepores aliquando magno strepitu in silvis conciti clamant, se propter assiduos metus vitam finire velle. Igitur

ad lacum quendam venerunt, quo se miseri praecipitarent *). Sed quum ranae eorum adventu perterritae in algas fugientes ruerent: Heu, inquit unus, sunt et alii, quos timor malorum vexat. Ferte vitam, ut ceteri.

*) quo съ сослагательнымъ вмѣстѣ: ut eo.

40. Честность самое прочное имѣніе.

Lignator et Mercurius.

Caedebat quidam ligna juxta fluvium. Inter opus excidit ei securis inque flumen demersa est 1). Tum in ripa sedens misere lamentari coepit. Mercurius, quum praeteriens querelas ejus audisset, misertus 2) hominis, aquas subiit, et retulit 3) securim, non eam tamen, quam amiserat 4) ille, sed auream, et, an haec esset ea, quam amisisset, interrogavit. Negavit ille hanc suam esse. Iterum igitur Mercurius aliam extulit 5), eamque argenteam. Sed quum hanc quoque suam non esse profiteretur lignator, postremo ferream attulit, quam laetus ille suam agnovit 6). Hac probitate delectatus deus, omnes istas illi secures donavit. Haec quum multis narrasset lignator, alius quidam, ut similem fortunam experiretur, ipse securim suam in fluvium sponte abjecit 7), et juxta eum assidens plorare atque lamentari coepit. Tum ad hunc quoque accessit 8) Mercurius, et causa lacrimarum audita, auream protulit securim, interrogans, eane esset, cujus jacturam quereretur 9). Ille vero laetus, *Sane*, inquit, *mea haec est.* At Mercurius, impudentem et mendacem hominem aversatus, discessit 10), et non solum auream illam securim secum abstulit 11), sed ne eam quidem, quam in fluvium projecerat lignator, ei retulit.

1) demergere. 2) misereri. 3) referre. 4) amittere. 5) efferre. 6) agnoscere 7) abjicere. 8) accedere. 9) queri. 10) discedere. 11) auferre.

III.

НРАВОУЧИТЕЛЬНЫЯ ПОВѢСТИ.

(Изъ Цицерона, Геллія, Плинія и Плутарха.)

1. Воспитаніе дѣтей у Спартанцевъ.

Lycurgi leges erudiebant juventutem laboribus, venando, currendo, esuriendo, sitiendo, algendo, aestuando. Spartae vero

pueri ad aram sic verberibus accipiebantur, ut multus e visceribus sanguis exiret, nonnunquam etiam ad necem. Horum non modo nemo exclamavit unquam, sed ne ingemuit quidem.

2. *Спартанскія чувства.*

Spartanorum gens fortis fuit, dum Lycurgi leges vigebant. Eorum rex Leonidas in Thermopylis se trecentosque eos, quos eduxerat Sparta 1), quum esset proposita 2) aut fuga turpis aut gloriosa mors, opposuit hostibus, suosque milites ita allocutus est: Pergite animo forti, Lacedaemonii; hodie apud inferos fortasse coenabimus. — E quibus unus, quum hostis in colloquio dixisset glorians: Solem prae jaculorum et sagittarum multitudine non videbitis: *In umbra*, inquit, *igitur pugnabimus.* — Quumque Lacaena 3) quaedam filium misisset 4) et eum interfectum audisset, *Idcirco, inquit, eum peperi 5), ut pro patria mori ne dubitaret.*

1) Въ извѣстной войнѣ съ Персидскимъ Царемъ Ксерксомъ. 2) proponere. Когда должно было избирать. 3) Спартанка 4) mittere. 5) parere.

3. *Память Θемистоклова.*

Apud Graecos incredibili quadam magnitudine ingens fuit Atheniensis Themistocles. Ad hunc quidam doctus homo accessisse 1) dicitur, eique artem memoriae pollicitus esse se traditurum. Quum ille quaesisset 2), quidnam illa ars efficere posset, dixit ille doctor, efficere eam, ut omnia meminisset. Tum Themistocles respondit, gratius sibi fore, si se oblivisci quae vellet, quam si meminisse, docuisset.

1) accedere. 2) quaerere.

4. *Природа малымъ довольна.*

Darius 1) in fuga quum aquam turbidam et cadaveribus inquinatam bibisset, negavit unquam se bibisse jucundius. Nunquam videlicet sitiens biberat. — Nec esuriens Ptolemaeus 2) ederat. Huic quum peragranti Aegyptum, comitibus non consecutis 3), cibarius in casa panis datus esset, nihil visum est illo pane jucundius. — Lacedaemoniorum quoque victus valde tenuis erat. Quum apud eos coenavisset tyrannus Dionysius, negavit se jure illo nigro 4), quod coenae caput 5) erat, delectatum. Tum is, qui illa coxerat 6), Minime mirum, inquit; condimenta enim defue-

runt. Quae tandem? inquit ille. Labor in venatu, sudor, cursus, fames, sitis: his enim rebus Lacedaemoniorum epulae condiuntur.

1) Послѣдній Персидскій Государь. 2) Государь Египетскій. 3) non consequi, безъ свиты. 4) извѣстная черная похлебка у Лакедемонянъ. 5) главное кушанье. 6) coquere

5. *Діонисій тираннъ.*

Quum quidam ex Dionysii assentatoribus Damocles commemoraret in sermone copias ejus opes, majestatem dominatus, rerum abundantiam magnificentiam aedium regiarum negaretque unquam beatiorem quemquam fuisse. Visne igitur, inquit, Damocle, quoniam haec vita te delectat, ipse eam degustare et fortunam experiri meam? Quum ille se id cupere dixisset; collocari jussit hominem in aureo lecto, strato 1) pulcherrime textili stragulo, magnificis operibus picto 2): abacosque complures ornavit argento auroque. Tum ad mensam eximia forma pueros delectos jussit consistere, eosque nutum ejus intuentes diligenter ministrare. Aderant unguenta, coronae: incendebantur odores: mensae conquisitissimis epulis exstruebantur. Fortunatus sibi Damocles videbatur. In hoc medio apparatu fulgentem gladium, seta equina aptum 3), e lacunari demitti jussit, ut impenderet illius beati cervicibus. Itaque nec pulchros illos ministratores adspiciebat, nec plenum artis argentum: nec manum porrigebat in mensam: jam ipsae defluebant 4) coronae; denique exoravit tyrannum, ut abire liceret, quod jam beatus nollet esse.

1) sternere — покрытомъ дорогими шитыми коврами. 2) pingere – изукрашенный. 3) на лошадиномъ волосѣ висящій. 4) валились.

6. *Ограбленіе храма Діонисіева.*

Dionysius quum ad Peloponnesum classem appulisset 1), et venisset in fanum Jovis 2) Olympii, aureum ei detraxit amiculum, grandi pondere, quo Jovem ornarat ex manubiis Carthageniensium tyrannus Gelo 3). Atque in eo etiam cavillatus est, aestate grave esse aureum amiculum, hieme frigidum: eique laneum pallium injecit 4), quum id esse ad omne anni tempus diceret. Idemque Epidauri Aesculapii barbam auream demi jussit. Neque enim convenire

5), barbatum esse filium, quum in omnibus fanis pater esset imberbis 6).

1) appellere приставъ къ берегу. 2) Jupiter — онъ подъ названіемъ Олимпійскаго имѣлъ особенно въ Олимпіи великолѣпный храмъ съ богатыми статуями. 3) Гелонъ лѣтъ за 100 передъ Діонисіемъ былъ правителемъ Сиракузъ и велъ войну съ Карѳагенянами 4) injicere. 5) неприлично. 6) Ескулапъ былъ сынъ Аполлона, который изображается юношею.

7. *Недовѣрчивость Діонисіева.*

Quum esset Dionysius bonis parentibus natus 1), multosque haberet familiares et propinquos, credebat tamen eorum nemini, sed servis et quibusdam convenis et feris barbaris corporis custodiam committebat. Ita propter injustam dominatus cupiditatem in carcerem quodammodo ipse se incluserat 2). Quin etiam, ne tonsori collum committeret, tondere filias suas docuit. Ita regiae virgines tondebant barbam et capillum patris. Et tamen ab iis ipsis, quum jam essent adultae 3), ferrum removit 4), instituitque, ut candentibus juglandium putaminibus barbam sibi et capillum adurerent. Idemque quum in communibus suggestis consistere non auderet, concionari ex turri alta solebat. Atque is quum pila ludere vellet (studiose enim id factitabat) tunicamque poneret, adolescentulo, quem amabat, tradidit gladium. Hic quum quidam familiaris jocans dixisset: *Huic quidem certe vitam tuam committis:* arrisissetque 5) adolescens, utrumque jussit interfici; alterum, quia viam demonstravisset interimendi sui, alterum, quia id dictum risu approbavisset. Atque eo facto sic doluit, ut nihil gravius tulerit 6) in vita.

1) nasci 2) includere. 3) adolescere 4) отнялъ орудіе. 5) arridere 6 ferre — ни о чемъ столько не скорбѣлъ.

8. *Великодушіе Фабриція.*

Quum rex Pyrrhus populo Romano bellum ultro intulisset, perfuga ab eo venit in castra Fabricii*), eique est pollicitus, si praemium sibi proposuisset, se clam in Pyrrhi castra rediturum et eum veneno necaturum. Hunc Fabricius reducendum curavit ad Pyrrhum, idque factum ejus in senatu laudatum est.

*) Фабриція, предводителя Римскаго войска.

9. Довольство Курія.

M. *) Curius quum de Samnitibus, de Sabinis, de Pyrrho triumphasset, consumpsit extremum tempus aetatis in vita rustica. Eidem ad focum sedenti magnum auri pondus Samnites quum attulissent, repudiati ab eo sunt. Non enim aurum habere praeclarum sibi videri dixit, sed iis, qui haberent aurum, imperare.

*) Manius.

10. Солонъ.

Civitas Atheniensium prudentissima fuisse traditur. Hujus porro civitatis sapientissimum dicunt Solonem fuisse eum, qui leges, quibus diu utebantur, scripserit. Is quum interrogaretur, cur nullum supplicium constituisset in eum, qui parentem necasset, respondit, se id neminem facturum putasse.

11. Вопросъ Гіероновъ.

Quum tyrannus Hiero quaesivisset 1) de Simonide, quid aut quale esset deus, deliberandi causa sibi unum diem postulavit. Quum idem ex eo postridie quaereret, biduum petivit 2). Quum saepius duplicaret numerum dierum, admiransque Hiero requireret, cur ita faceret: Quia inquit, quanto diutius considero, tanto mihi res videtur obscurior.

1) quaerere. 2) petere.

12. Твердость души Регула.

M. Atilius Regulus quum Consul iterum 1) in Africa a Carthaginiensibus captus 2) esset, juratus 3) missus est ad senatum, ut nisi redditi essent Poenis captivi nobiles quidam, rediret ipse Carthaginem. Is quum Romam venisset, utilitatis speciem videbat, sed eam falsam esse judicavit. Haec utilitas erat talis: manere in patria, esse domi suae cum uxore, cum liberis, tenere consularis dignitatis gradum 4). Itaque quid fecit? In senatum venit, mandata exposuit, sententiam dicere recusavit: quamdiu jurejurando 5) hostium teneretur 6), non esse se senatorem. Atque illud etiam, reddi captivos negavit esse utile: illos enim adolescentes esse et bonos duces 7), se jam confectum 8) senectute. Quum valuisset ejus auctoritas 9), captivi retenti sunt 10). Ipse Carthaginem rediit, neque eum caritas patriae retinuit, nec suorum. Neque vero tum ignorabat, se ad crudelissimum hostem et ad exquisita supplicia proficisci: sed jusjurandum conservandum putabat. Itaque eum Cartha-

ginienses resectis 11) palpebris illigatum in machina vigilando necaverunt.

1) Во время втораго своего Консульства. 2) во вторую Пуническую войну. 3) давши клятву. 4) удержать достоинство Консульское. 5) jusjurandum. 6) пока обязанъ онъ былъ клятвою неприятелямъ. 7) dux. 8) conficere. 9) когда совѣтъ его былъ принятъ. 10) retinere. 11) resecare.

13. Рѣдкая дружба.

Damon et Pithias tam fidelem inter se amicitiam junxerant 1), ut mori parati essent alter pro altero. Quum eorum alter, a Dionysio tyranno nece damnatus, impetrasset tempus, quo profectus (2) domum res suas ordinaret: alter vadem (3) se dare tyranno pro reditu ejus non dubitavit, ita ut, si ille non revertisset ad diem, moriendum esset sibi ipsi. Igitur omnes, et inprimis Dionysius, cupide exspectabant novae rei exitum. Appropinquante deinde definita die, nec illo redeunte, unusquisque vituperabat tam temerarium sponsorem. At is nihil se de amici fide metuere praedicabat. Et ille ad diem dictam supervenit. Admiratus eorum fidem tyrannus petivit, ut se in amicitiam tertium (4) reciperent, et supplicio liberavit eum, qui morte erat plectendus.

1) jungere. 2) proficisci. 3) vas. 4) его третьяго.

14. Дружеская шутка.

Scipio Nasica quum ad poëtam Ennium venisset, eique ab ostio (1) quaerenti Ennium ancilla dixisset, domi non esse: Nasica sensit (2), eam hoc domini jussu dixisse, et illum intus esse. Paucis post diebus quum ad Nasicam venisset Ennius, et eum a janua quaereret, exclamat Nasica, se domi non esse. Tum Ennius, *Quid? ego non cognosco vocem*, inquit, *tuam?* Huic Nasica (3): Homo es impudens: ego quum te quaererem, ancillae tuae credidi, te domi non esse: tu mihi non credis ipsi?

1) у дверей. 2) sentire. 3) scil. respondit.

15. Горячность дѣтской любви.

Argivae cujusdam sacerdotis (1) filii jure laudantur ob insignem pietatem in matrem. Quum enim illam ad solenne sacrificium curru vehi jus esset, satis longe ab oppido ad fanum, morarenturque jumenta, tunc juvenes illi, veste posita corpora oleo perunxerunt (2), et ad jugum accesserunt. Ita sacerdos advecta (3) in fanum, quum currus esset ductus a

filiis, precata a dea dicitur, ut illis praemium daret pro pietate, quod maximum homini dari posset a deo: post epulatos cum matre adolescentes somno se dedisse, sed mane inventos esse mortuos.

1) она была жрицей Юноны. 2) perungere. 3) advehere.

16. Чудное сновидѣніе.

Quum duo quidam Arcades familiares iter una facerent, et Megaram venissent, alter ad cauponem devertit, alter ad hospitem. Quum post coenam quiescerent, media nocte visum esse dicunt in somnis ei, qui erat in hospitio 1), illum alterum orare, ut subveniret, quod sibi a caupone interitus pararetur. Is primo perterritus somnio surrexit 2): deinde quum se collegisset 3), idque visum pro nihilo habendum esse duxisset 4), recubuit 5). Tum ei dormienti idem ille visus est rogare, ut, quoniam sibi vivo non subvenisset, mortem suam ne inultam esse pateretur; se interfectum in plaustrum a caupone esse conjectum 6) et supra stercus injectum: petere, ut mane ad portam adesset, priusquam plaustrum ex oppido exiret. Hoc vero somnio commotus 7) ille mane praesto ad portam fuit: quaesivit 8) ex bubulco, quid esset in plaustro. Ille perterritus fugit, mortuus erutus est; caupo, re patefacta 9), poenas dedit 10).

1) въ домѣ друга. 2) surgere. 3) какъ скоро опомнился. 4) ducere. 5) recumbere. 6) conjicere. 7) commovere. 8) quaerere. 9) patefacere. 10) dare. (poenas dare, понести наказаніе).

17. Обманъ и поспѣшность покупки.

Cajus Canius, eques Romanus, quum se Syracusas otiandi, non negotiandi causa contulisset 1), dictitabat, se hortulos aliquos emere velle, quo invitare amicos et ubi se oblectare sine interpellatoribus posset. Quod quum percrebuisset 2), Pythius ei quidam argentarius dixit, se venales quidem hortos non habere, sed licere uti 3) Canio, si vellet, ut suis; et simul ad coenam hominem 4) in hortos invitavit in posterum diem. Quum ille promisisset 5), tum Pythius, qui ut argentarius apud omnes ordines 6) gratiosus esset, piscatores ad se convocavit et ab iis petivit, ut ante suos hortulos postridie piscarentur: dixitque quid eos facere vellet. Ad coenam tempore venit Canius; opipare a Pythio apparatur convivium: cymbarum ante oculos multitudo 7).

Quisque, quod ceperat 8), afferebat: ante pedes Pythii pisces adjiciebantur. Tum Canius, Quaeso, inquit, quid est hoc, Pythi? tantumne piscium, tantumne cymbarum? Et ille, Quid mirum? inquit: hoc loco est, Syracusis quidquid est piscium 9): hac villa isti carere non possunt. Incensus 10) Canius cupiditate contendit a Pythio, ut venderet. Gravatur ille primo 11). Quid multa? 12) Impetrat; emit homo cupidus et locuples tanti, quanti Pythius voluit: negotium conficit. Invitat Canius postridie familiares suos. Venit ipse mature: cymbam nullam videt. Quaerit ex proximo vicino, num feriae quaedam piscatorum essent, quod eos nullos videret. Nullae, quod sciam 13), inquit ille; sed hic nulli piscari solent: itaque heri mirabar, quid accidisset. Stomachari 14) Canius. Sed quid faceret?

1) conferre. 2) percrebescere. 3) scil. hortis suis. 4). e. Canius. 5) promittere. 6) любимый всѣми состояніями. 7) scil. erat. 8) capere. 9) всякую, любую рыбу въ Сиракузахъ. 10) incendere. 11) сначала онъ затрудняется, не соглашается. 12) короче сказать. 13) сколько я знаю. 14) неопред. Истор.

18. *Добрый Государь.*

Imperator Titus, qui natura erat benevolentissimus, amor ac deliciae generis humani appellatus est. Hoc illi propositum et solenne fuit 1), ne quem accedentium ad se sine spe dimitteret. Admonentibus autem domesticis, quasi plura polliceretur, quam praestare posset: Non oportet, ait, quemquam a sermone principis tristem discedere. Atque etiam recordatus quondam super coenam, quod nihil cuiquam toto die praestitisset 2), memorabilem illam meritoque laudatam vocem edidit: *Amici, hodie diem perdidi.*

1) у него было обыкновеніе. 2) что никому не оказалъ милости.

19. *Греческій воинъ.*

Nihil apud Graecos atque imprimis Lacedaemonios turpius erat militi, quam e pugna redire sine clypeo. At contra summa laus erat, vulneribus adverso corpore *) acceptis occisum et clypeo impositum in patriam reportari. Unde mulier Lacaena filio ad bellum proficiscenti scutum tradens, dixisse fertur: *Aut hoc, aut in hoc.* Id est, hoc scutum domum refere pugna, aut ipse in hoc scuto jacens domum reportator.

*) на груди.

20. *Храбрость Греческая.*

Cynegiri, militis Atheniensis, gloria magnis laudibus celebrata est. Quum enim post innumeras caedes proelii, in campis Marathoniis duce Miltiade contra Persas commissi, fugientes hostes in naves egisset 1): onustam navem dextra manu tenuit, nec prius dimisit, quam manum amitteret. Tum quoque, amputata dextra 2), navem sinistra comprehendit. Quum et hanc amisisset, ad postremum morsu navem detinuit. Tanta in eo virtus fuit, ut non tot caedibus fatigatus, non ambabus manibus amissis victus 3), ad postremum truncus et veluti rabida fera dentibus dimicaverit.

1) agere 2) scil. *manu* 3) vincere.

21. *Кротость.*

Periclem in foro publica negotia tractantem improbus et petulans homo conviciis insectabatur. Quae quum ille patienter ferret, nec ullum ad ea verbum reponeret, diem totum perseveravit ille. Vesperi vultu gressuque placido domum rediit Pericles, insequente eodem nebulone et omnibus opprobriis eum obruente. Domum ingressurus 1), quum jam nox esset, jussit servorum unum accensa 2) lucerna hominem comitari ac reducere domum.

1) ingredi. 2) accendere.

22. *Кодрова любовь къ отечеству.*

Rex Atheniensium, Codrus, quum ingenti hostium exercitu Attica regio debilitata ferro ignique vastaretur, ad Apollinis Delphici oraculum confugit, perque legatos sciscitatus est, quonam modo illud tam grave bellum discuti posset. Respondit deus, ita finem ei fore, si ipse hostili manu occidisset 1). Hoc non solum totis Athenis, sed in castris etiam contrariis percrebuit 2), eoque factum est, ut ediceretur, ne quis Codri corpus vulneraret. Id postquam cognovit 3), deposuit insignia imperii, famularem cultum induit, ac pabulantium hostium globo sese objecit 4), unumque ex his, falce 5) percussum 6), in caedem suam compulit 7). Ita illius interitu, ne Athenae perirent, effectum est.

1) если онъ падетъ отъ руки неприятеля. 2) percrebrescere. 3) cognoscere 4) objicere. 5 falx. 6) percutere. 7) compellere.

23. *Обѣщанная жертва.*

Quum Alexander, Macedonum rex, sorte 1) monitus esset, ut eum, qui sibi porta egresso 2) primus occurris-

set, interfici juberet: asinarium forte ante omnes obviam factum ad mortem abripi imperavit. Quaerenti eo, cur se innocentem capitali supplicio adduceret, ad excusandum factum suum oraculi praeceptum retulit 3). Tum asinarius, Si ita est, inquit, rex, alium sors huic morti destinavit. Nam asellus, quem ego ante me agebam, prior tibi occurrit. — Delectatus Alexander et illius tam callido dicto, et quod ab errore ipse revocatus erat 4), immolavit asellum.

1) отъ Оракула. 2) egredi. 3) referre. 4) поелику самъ выведенъ былъ изъ заблужденія.

24. *Униженная гордость.*

Socrates Alcibiadem, discipulum suum, divitiis et agrorum multitudine superbientem, adduxit ad locum, in quo tabula quaedam, descriptionem terrae complectens, suspensa erat, eumque rogavit, ut in ea Atticam quaereret. Quam quum invenisset, suos quoque fundos eum jussit quaerere atque monstrare. Quum responderet, hos nusquam ibi pictos esse; Socrates, Nonne te pudet, inquit, agrorum possessione superbire, qui nulla pars terrae sunt?

25. *Александръ и его конь.*

Alexander Ephesi imaginem suam contemplatus, quam Apelles, celeberrimus illius temporis pictor, pinxerat, minus laudavit picturam quam merebatur. Quum autem introductus equus adhinniret equo picto, quasi et hic verus esset equus; Apelles, O rex, inquit, equus hic peritior artis pingendi quam tu esse videtur.

26. *Гордый врагъ.*

Menecrates medicus adeo superbia erat inflatus, ut ipse Jovem 1) se appellaret. Aliquando lautissimum convivium instruxit Philippus, Macedonum rex. Invitavit etiam illum seorsimque mensam ei jussit apparari, et apponi acerram, suffitumque fieri. Et ceteri quidem epulabantur: Menecrates autem primum gaudebat honore divino: sed quum paullatim fames obreperet, et homo esse convinceretur, isque 2) vanus et stolidus: surrexit 3) et abiit, injuria se affectum esse conquestus 4).

1) Juppiter. 2) притомъ человѣкъ суетн. 3) surgere. 4) conqueri.

27. Трудъ все преодолѣваетъ.

In Demosthene tantum studium tantusque labor fuisse dicitur, ut primum impedimenta naturae diligentia industriaque superarit. Nam quum ita balbus esset, ut ejus ipsius artis, cui studeret, primam litteram non posset dicere 1), perfecit meditando, ut nemo planius eo loqueretur. Deinde perduxit exercitatione continua vocem suam, quae propter nimiam exilitatem acerba auditu erat, ad gratum auribus sonum. Quippe conjectis 2) in os calculis summa voce versus multos uno spiritu pronuntiare consuescebat: neque id consistens in loco, sed inambulans atque ascensu ingrediens arduo. Cellam quoque aedificasse subterraneam dicitur, in qua duos tresve menses continuos aliquando inclusus operam dabat gestui et voci, et quidem media parte capitis abrasa 3), ut in publicum sine verecundia prodire non posset.

1) т. е. R, какъ начальную букву слова Rhetorica, наука о краснорѣчіи. 2) conjicere. 3) abradere.

28. Образецъ любви къ ученію.

Decreverant 1) Athenienses, ut, qui Megaris civis esset, interficeretur, si Athenas pedem intulisset: tanto Athenienses odio flagrabant finitimorum hominum Megarensium. Euclides, qui Megaris civis erat, jam ante id decretum consueverat 2) et esse Athenis et audire Socratem. Sed postquam id decretum sanxerunt 3) Athenienses, sub noctem, priusquam advesperasceret, tunica longa muliebri indutus, et pallio versicolore amictus, et caput rica velatus, e domo sua Megaris Athenas ad Socratem commeabat: ut noctis aliquo tempore consiliorum sermonumque Socratis fieret particeps: rursusque sub lucem viginti millia passuum eadem veste illa tectus 4) redibat.

1) decernere. 2 consuescere 3 sancire. 4) tegere.

29. Ревностный ученикъ.

Antisthenes discipulos hortabatur, ut sedulo operam darent sapientiae: at pauci obtemperabant. Itaque tandem indignatus dimisit omnes, inter quos erat etiam Diogenes. Qui quum incensus 1) magna discendi cupiditate ad eum tamen ventitaret, nec discedere vellet: minatus tandem est Antisthenes, se percussurum 2) illius caput baculo, quem solebat manu gestare: et his minis non territum revera per-

cussit aliquando. Non recessit 3) propterea Diogenes, sed animo obstinato, Percute, inquit, si ita placet. Ego tibi caput praebeo. Neque vero tam durum fustem inveneris, quo me a tuis disputationibus abigas. — Admisit tandem tam cupidum doctrinae discipulum Antisthenes, et eum maxime amavit.

1) incendere. 2) percutere. 3) recedere.

30. *Беспечность вразсужденіи воспитанія дѣтей.*

Salse ridebat Diogenes inertiam et incuriam Megarensium, qui liberos suos nullis bonis artibus instruebant, curam vero pecorum diligentem habebant. Dicebat enim, malle se arietem esse Megarensis alicujus quam filium.

31. *Братская любовь.*

Quum admodum puer esset Cato, quaerentibus ex eo quibusdam, quem omnium maxime diligeret, respondit, Fratrem. Iisdem rursus quaerentibus, quem secundum maxime diligeret, Fratrem, respondit. Interrogatus de tertio, idem responsum dedit: donec illi a percontatione desisterent. Crevit 1) cum aetate illa in fratrem benevolentia et reverentia: ab ejus latere non discedebat, ei se in cunctis obedientem praebebat, et annos natus 2) viginti sine fratre Caepione nunquam coenaverat, non in forum progressus 3), non peregre profectus fuerat 4). Utriusque probi erant mores, sed Catonis vita severior. Itaque Caepio, quum ipsius frugalitas et temperantia laudaretur, fatebatur se virum frugi videri posse, si cum multis Romanorum compararetur. At ubi, inquiebat, cum Catonis vita comparo meam, nihil mihi videor a Sippio differre. Erat autem ille Sippius homo nequam et luxuriae deditus.

1) crescere. 2) nasci. 3) progredi. 4) proficisci.

32. *Отцовская нѣжность и сыновняя почтительность.*

Erat Murgentii, quod est oppidum Siciliae, vir opibus et gloria princeps civitatis suae, cui nomen Cambalus. Hic venatum egressus quum in latronum manus paene incidisset, pedibus in oppidum coepit properare. Ei tum forte Gorgus pater, equo vectus, occurrit, et statim equo desiliit, filiumque hortatus est, ut equo conscenso protinus in urbem confugeret. At filius salutem suam patris incolumitati praeferre noluit; neque pater vicissim voluit periculum effugere,

projecto ad certam mortem filio. Itaque quum alter alterum flens oraret, et ambo inter se certarent, interim latrones utrumque assecuti confoderunt.

33. Врагъ людей.

Athenis olim fuit vir quidam, nomine Timon, qui in universum hominum genus odium conceperat. Is aliquando prodiit in concionem. Quod quum praeter consuetudinem faceret, magna omnium exspectatio fuit, quidnam afferret. Tum ille e suggestu, in quem ascenderat, Athenienses, inquit: est mihi area quaedam, in qua crevit 1) ficus, e qua multi sponte se suspenderunt. Quoniam autem in area illa aedes exstruere decrevi 2), monere vos volui, priusquam ficum exscindam, ut, si qui de suspendio cogitent, maturent quam maxime.

1) crêscere. 2) decernere.

34. Когда Цари слышатъ правду.

Antiochus, Syriae rex quum in venatione feram persequendi studio ab amicis et servis aberrasset, in casam pauperum hominum intravit ignotus. Cum his coenans sermonem de rege injecit 1), ut sciret, quae esset hospitum de se opinio. Audivit igitur, regem in ceteris quidem bonum et laude dignum esse, sed amicis utentem malis plurima negligere, et saepe, quae necessaria essent, nihil curare, quod nimis studiosus venationis esset. Tacuit tum quidem Antiochus. Sed postquam orto sole ad casam illam venere regii satellites, et purpuream vestem cum diademate attulere 2), regia illa insignia adspiciens, Certe, inquit, ex quo haec sumpsi ornamenta, heri primum veros de me sermones audivi.

1) завелъ онъ рѣчь о Царѣ. 2) afferre.

35. Благосклонное принятіе малаго подарка.

Regi Persarum, intra regni sui fines iter facienti, munera ab omnibus Persis offerri mos erat. Qui in terra colenda occupati erant, alii boves aut oves, alii frumentum aut vinum dabant: pauperiores vero lac, caseum, dactylos aliosque arborum fructus, qui in cujusque agro nascerentur. Quae omnia non tributi, sed doni nomine a singulis offerebantur regi praetereunti 1) ac praeterequitanti. — Quum Persa quidam, cui nomen Sinaetas, procul a tugurio suo in Artaxerxem, qui Mnemon cognominabatur, incidisset, ac

nihil haberet, quod regi posset offerre: noluit tamen eum a se indonatum videri. Itaque ad proxime praeterfluentem fluvium cursu contendit, et aquam utraque manu haustam 2) regi obtulit 3), munus, quantum potuit, faustis bonisque verbis exornans. Artaxerxes et dono et dantis animo atque oratione mire delectatus, neque minus regium esse existimans parva grato animo accipere, quam magna tribuere, dixit, aquam se illam libenter accipere, et non minus ea gaudere, quam pretiosissimo munere. Deinde homini misit non parvam pecuniae summam cum veste Persica et patera aurea, qua 4) haustam e fluvio aquam biberet.

1) praeterire 2) haurire. 3) offerre. 4) qua съ сослаг. вм. ut ea.

36. *Преимущество мудраго.*

Sapiens ille Bias, qui numeratur in Septem 1), admirandus est. Nam quum patriam ejus Prienen hostis cepisset 2), ceterique ita fugerent, ut multa de suis rebus secum asportarent, admonitus est a quodam, ut idem ipse faceret. *Ego vero*, inquit, *facio; nam omnia mea porto mecum.* Pectore enim sua gestabat, non humeris.

1) между семью мудрецами. 2) capere.

37. *Погребеніе.*

Diogenes moribundus projici se jussit inhumatum. Tum amici: *Volucribusne et feris?* — Minime vero, inquit; sed bacillum propter me, quo abigam, ponitote. — *Qui poteris?* illi 1), *non enim senties.* — Quid igitur mihi ferarum laniatus oberit 2), nihil sentienti?

1) scil. *dixerunt.* 2) obesse.

38. *Сокровища.*

Babyloniorum regina, Nitocris, supra portam urbis celeberrimam, loco edito et conspicuo, sepulcrum sibi exstrui jussit, atque inscribi: Si cui regum, qui post me apud Babylonios imperium obtinebunt, pecuniae inopia fuerit, aperito sepulcrum et sumito quantum libuerit. Ne tamen aperito, nisi indiguerit; non enim proderit 1) aperuisse. — Hoc sepulcrum intactum permansit 2), donec regnum pervenit ad Darium, Hystaspis filium, qui, reserato monumento, non quidem pecunias, quas speraverat, invenit, sed cadaver et haec verba exarata: Nisi tu turpis lucri studio-

sus esses, et inexplebilis te pecuniae cupiditas teneret, mortuorum sepulcra non violares.

1) prodesse. 2) permanere.

39. Судъ надъ умершими.

Ferunt, hunc apud veteres Aegyptios morem fuisse, ut mortui regis corpus non prius sepulcro conderetur, quam cuncta ejus facta expensa essent 1). Volenti cuique licebat defunctum accusare. Instituebatur judicium, et si plura male fecisse rex coargueretur, carebat sepulcro. Hujus dedecoris 2) timore factum est, ut multi pie justeque imperaverint.

1) expendere. 2) dedecus.

40. Добровольное сожженіе себя.

Mulieres in India, quum est cujusque earum vir mortuus 1), coram judicibus certant, quam plurimum ille dilexerit 2): plures enim singulis solent esse nuptae 3). Quae est victrix, ea laeta, prosequentibus suis, una cum viro in rogum imponitur: illae victae maestae discedunt.

1) mori. 2) diligere. 3) nubere.

41. Терпѣливость отрока.

Vetusto Macedoniae more regi Alexandro nobilissimi pueri praesto erant sacrificanti. E quibus unus, turibulo arrepto, ante ipsum adstitit 1), in cujus brachium carbo ardens delapsus est 2): quo etsi ita urebatur, ut adusti 3) corporis odor ad circumstantium nares perveniret, tamen et dolorem silentio pressit 4), et brachium immobile tenuit, ne sacrificium Alexandri aut concusso 5) turibulo impediret, aut edito gemitu regis animum turbaret.

1) adstare. 2) delabi. 3) adurere. 4 premere. 5) concutere.

42. Утѣшеніе отца по смерти сына.

Xenophon quum solemne sacrum perageret, e duobus filiis majorem natu, nomine Gryllum, apud Mantineam in proelio cecidisse 1), cognovit: nec ideo institutum deorum cultum omittendum putavit, sed satis habuit, coronam 2) deponere. Percontatus deinde, quonam modo occidisset, audivit, fortissime pugnantem interiisse. Tum capiti reposuit coronam, numina, quibus sacrificabat, testatus, majo-

rem se ex virtute filii voluptatem, quam ex morte amaritudinem sentire.

1) cadere. 2) древніе при торжественныхъ жертвоприношеніяхъ носили вѣнки.

43. *Сынъ гончара на тронѣ.*

Agathocles, Siciliae tyrannus, ad regni majestatem ex humili genere pervenit. Quippe in Sicilia patre figulo natus erat. Postquam autem imperio potitus est, solebat in mensa pocula fictilia inter aurea ponere, et palam fateri, se quondam ejusmodi poculorum fuisse artificem.

44. *Грубость и лесть.*

Cambysem regem, nimis deditum vino, Prexaspes, unus ex carissimis, monebat, ut parcius biberet, turpem esse dicens in quovis homine ebrietatem, sed maxime in rege, in quem omnium oculi intenti 1) essent. Ad hoc ille, Ut scias, inquit, me nunquam mei oblivisci, et semper mentis compotem esse, probabo jam, et oculos et manus etiam post vinum esse in officio 2). — Bibit deinde copiosius quam alias, capacioribus scyphis: et jam gravis et temulentus objurgatoris sui filium procedere ultra limen jubet, allevataque super caput sinistra manu stare. Tunc intendit arcum, et ipsum cor adolescentis (id enim se petere dixerat) figit, recisoque 3) pectore haerens in ipso corde spiculum ostendit. Ac respiciens patrem interrogavit, satisne certam haberet manum. At ille negavit Apollinem potuisse certius sagittam mittere. — Quid censetis, pueri, de hoc rege deque patre?

1) intendere. 2) что глаза и руки отправляютъ свое дѣло. 3) recidere.

45. *Полезное употребленіе зеркала.*

Socrates philosophus dicitur suasisse 1) discipulis, ut, qui inspecto 2) speculo formosus sibi videretur, caveret, ne dignitatem corporis malis moribus dedecoraret; qui vero deformis, daret operam, ut virtutis splendore vultus turpitudinem tegeret.

1) suadere. 2) inspicere.

46. *Пышность въ одѣяніи.*

Quum in regali solio sederet Croesus pretiosissimis vestibus indutus, Solonem interrogavit, an pulchrius unquam spectaculum vidisset. — Gallos, inquit ille, gallina-

ceos, phasianos, et pavones; naturali enim et inimitabili hi colore ac pulchritudine fulgent.

47. *Повѣрка надъ самимъ собою.*

Quotidie ad rationem reddendam vocandus est animus. Faciebant hoc Pythagorei philosophi, ut, consummato die, quum se nocturnae quieti dedissent, interrogarent animum suum: Cui vitio hodie obstitisti *)? Quod hodie malum tuum sanasti? qua parte melior es? — Quid pulchrius utiliusque hac consuetudine excutiendi totum diem?

*) obstare.

48. *Почтительность къ старости.*

Lex erat apud Lacedaemonios, ut adolescentes non solum parentes suos revererentur, eisque obedirent, sed seniores quoque omnes colerent. Itaque de via illis decedebant, e sedibus assurgebant, et consistebant quieti et verecundantes, dum illi transirent.

Quum Athenis senex quidam in theatrum venisset spectatum ludos, in magno consessu locus ei a suis civibus nusquam est datus. Quum autem ad Lacedaemoniorum legatos, qui ludis intererant, accessisset 1); consurrexere 2) omnes, et senem illum fessum recepere 3), sedemque ei inter ipsos honoratissimo loco dederunt. Quod quum adspexisset 4) populus, maximo plausu alienae urbis verecundiam comprobavit. Ferunt tunc unum e Lacedaemoniis dixisse: Ergo Athenienses, quid sit rectum, sciunt, sed id facere negligunt.

1) accedere. 2) consurgere. 3) recipere. 4) adspicere.

49. *Сужденіе о картинѣ.*

Apelles, pictor egregius, perfecta opera proponebat in pergula transeuntibus atque post ipsam tabulam latens, quae vitia notarentur, auscultabat, vulgus severiorem se judicem existimans. Ferunt a sutore reprehensum esse vitium quoddam in crepidis. Apelles igitur emendavit. Postero die transiit idem sutor, et superbus emendatione cavillari coepit circa crus. Tum indignatus pictor prospexit *) eique denuntiavit, ne supra crepidam sutor judicaret.

*) prospicere

50. *Для чего двое ушей и одинъ ротъ.*

Zeno adolescentulo inepta multa loquenti, Idcirco, inquit, aures habemus duas et os unum, ut plura audiamus quam loquamur.

51. *Щастливъ, кто живетъ такъ, что не имѣетъ нужды скрывать поступковъ своихъ.*

Julii Drusi aedes pluribus ex partibus patebant vicinorum prospectui. Hoc incommodum faber lignarius, si quinque talenta sibi darentur, se correcturum 1) pollicebatur, effecturumque 2), ne pars ulla esset exposita prospectui. Tum Drusus, Decem, inquit, dabo, si talem reddideris domum meam, ut non vicini tantum, sed omnes cives videre possint, quomodo in ea vivam.

1) corrigere. 2) efficere.

52. *Робость.*

Imperator Augustus, quum ei quidam libellum trepidus offerret, et modo proferret manum, modo retraheret, *Putasne*, inquit, *te assem elephanto dare?*

53. *Свойства судьи.*

Thebis Aegyptiacis cernebantur simulacra judicum sine manibus, et praesidis eorum, oculos in terram defixos *) habentis. Quo significabatur, eos, qui jus dicunt, nec donis nec conspectu reorum moveri oportere.

*) defigere.

54. *Судъ Ареопага.*

Athenis erat sanctissimum et severissimum consilium 1) Areopagus. Ibi, ne reorum miserando adspectu judices commoverentur, ipsa nocte, nullis admotis 2) luminibus, judicia exercebant, summoque silentio sententiam tabella dabant, ita ut alter alterius sententiam ignoraret. — Hi Areopagitae damnaverunt aliquando puerum, qui coturnicum oculos eruere solitus erat, judicantes, id signum esse perniciosissimae mentis, multisque malo futurae 3), si adolevisset 4). — Ab iisdem diligentissime inquiri solebat, quid quisque Atheniensium ageret, aut quonam quaestu sustentaret vitam, ut homines honeste viverent, memores vitae rationem reddendam esse.

1) совѣтъ. 2) admovere. 3) esse malo, быть вреднымъ. 4) adolescere.

55. *Наказаніе за неправосудіе.*

Sisamnem, unum e Persarum judicibus, quod pecunia accepta injuste judicasset, rex Cambyses morte lecti jussit: interemptique 1) detracta pelle contexit 2) tribunal, in quo ille sederat. Tum filium ejus Otanem ibidem sedere judicem

voluit, admonuitque, ut nunquam paternae culpae ac poenae oblivisceretur. Severior postea Artaxerxes, Persarum rex, in quosdam malos judices fuit. Nam vivis pelles detrahi jussit, iisque aliorum judicum subsellia insterni, ut semper ante oculos haberent recens exemplum justitiae non impune violatae.

1) interimere. 2) contegere.

56. *Кимонова щедрость.*

Cimon, Atheniensium imperator, fuit tanta liberalitate, ut, quum compluribus locis praedia hortosque haberet, nunquam in eis custodem imposuerit fructus servandi gratia, ne quis impediretur, quo minus ejus rebus, quibus quisque vellet, frueretur. Semper eum pedissequi cum nummis sunt secuti, ut, si quis opis ejus indigeret, haberet, quod statim daret, ne differendo videretur negare. Saepe quum pauperem aliquem videret minus bene vestitum, suum amiculum dedit. Quotidie sic coena ei coquebatur, ut, quos invocatos vidisset in foro, omnes devocaret: quod facere nullum diem praetermittebat. Multos locupletavit: complures pauperes mortuos, qui, unde 1) efferrentur, non reliquissent, suo sumptu extulit 2). Sic se gerendo, minime est mirandum, si et vita ejus secura fuit et mors omnibus acerba.

1) у которыхъ не оставалось ничего на похороны. 2) efferre.

57. *Прекрасныя свойства Епаминонда.*

Epaminondas, Thebanorum dux, erat modestus, prudens, gravis, temporibus sapienter utens, peritus belli, fortis manu, animo maximo, adeo veritatis diligens, ut ne joco quidem mentiretur. Idem continens, clemens, patiensque admirandum in modum: non solum populi, sed etiam amicorum ferens injurias: imprimisque commissa celans (quod interdum non minus prodest, quam diserte dicere), studiosus audiendi. Ex hoc enim facillime disci arbitrabatur. Itaque quum in circulum venisset, in quo aut de republica disputaretur, aut de philosophia sermo haberetur; nunquam inde prius discessit 1), quam ad finem sermo esset adductus. Paupertatem adeo facile perpessus 2) est, ut de republica nihil praeter gloriam ceperit 3). Amicorum facultatibus nunquam ad suum commodum, sed ad alios sublevandos saepe sic usus est 4), ut possit judicari, omnia ei cum amicis fuisse communia. Nam quum aut civium suorum

aliquis ab hostibus esset captus, aut filia amici propter paupertatem collocari non posset: amicorum concilium habebat, et quantum quisque daret, pro cujusque facultatibus, imperabat.

1) discedere. 2) perpeti. 3) capere. 4) uti.

58. *Фокіоново довольство.*

Phocion Atheniensis, integritatis vitae magnam famam consecutus 1), cognomine *Bonus* est appellatus. Fuit enim perpetuo pauper, quum ditissimus esse posset propter frequenter delatos 2) honores, potestatesque summas, quae ei a populo dabantur. Hic quum a rege Philippo munera magnae pecuniae repudiaret, legatique hortarentur accipere, simulque admonerent, si ipse his facile careret, liberis tamen suis prospiceret, quibus difficile esset, in summa paupertate tantam paternam tueri gloriam: his ille, Si mei similes erunt, idem hic, inquit, agellus illos alet, qui me ad hanc dignitatem perduxit; sin dissimiles sunt futuri, nolo meis impensis illorum ali augerique luxuriam.

1) consequi. 2) deferre.

59. *Что можешь сдѣлать самъ, того не домогайся отъ другихъ.*

Aesopus, ille e Phrygia fabulator, haud immerito sapiens existimatus est. Multa enim utilia fabulis monuit, eaque in animos audientium cum quadam eorum voluptate induxit. Velut haec ejus fabula de aviculae nidulo lepide ac jucunde monet, spem rerum, quas efficere quis possit, haud unquam in alio, sed in semet ipso habendam. Avicula, inquit, est parva. Nomen est cassita. Habitat nidulaturque in segetibus; et pulli eo fere tempore plumant, quum instat messis. Ea cassita nidum forte congesserat 1) in sementes tempestiviores. Propterea frumentis flavescentibus pulli etiam tunc 2) involucres erant. Quum igitur ipsa iret cibum pullis quaesitum 3), monet eos, ut, si quid interea novi fieret diceretur ve, animadverterent idque sibi, ubi redisset, nuntiarent. Postea dominus segetum illarum filium adolescentem vocat, et, Videsne, inquit, segetem ematuruisse et manus messorum jam exspectare? Idcirco cras, ubi primum diluculabit, fac 4) amicos adeas 5), et roges, ut veniant et in messe hac nos adjuvent. Haec ubi ille dixit, discessit. Atque ubi rediit cassita, pulli trepiduli circum-

strepunt orantque matrem, ut statim properet, atque alium in locum sese asportet: nam dominus, inquiunt, misit filium, qui amicos rogaret, ut luce oriente veniant et metant. Mater jubet eos bono animo esse; Si enim dominus, inquit, messem ad amicos rejicit 6), cras seges non metetur, neque necesse est, ut jam hodie vos auferam. Die igitur postero mater in pabulum volat. Dominus quos rogaverat, opperitur. Sol fervet, et fit nihil: amici nulli aderant. Tum ille rursus ad filium, Amici isti, inquit, cessatores sunt. Eamus 7) potius et cognatos affinesque et vicinos nostros oremus, ut adsint cras in tempore ad metendum. Iidem hoc pulli pavefacti matri nuntiant. Mater hortatur, ut tum quoque sine metu ac sine cura sint; affinesque nullos fere tam esse obsequibiles, ut ad laborem capessendum nihil cunctentur, et statim dicto obediant. Vos modo, inquit, advertite, si quid denuo dicetur. Alia luce orta 8) avis in pastum profecta est 9). Cognati et affines non aderant. Ad postremum igitur dominus filio, Valeant, inquit, amici 10) cum propinquis. Affer prima luce falces duas: unam egomet mihi capiam et tu tibi capies alteram, et frumentum nosmet ipsi manibus nostris cras metemus. Id ubi dixisse dominum mater ex pullis audivit, Tempus, inquit, est cedendi et abeundi: fiet nunc sine dubio, quod futurum dixit. Nunc enim in ipso vertitur 11). — Atque ita cassita nidum alio transportavit. Seges a domino demessa 12) est.

1) congerere. 2) etiam tum или tunc еще. 3) quaerere. 4) facere. 5) adire — не забудь сходить. 6) если господинъ отдастъ жатву друзьямъ. 7) ire. 8) oriri. 9) proficisci. 10) Богъ съ ними, друзья и родные. 11) теперь дѣло отъ самого зависитъ 12) demetere.

60. *Злая жена.*

Xanthippe, Socratis philosophi uxor, morosa admodum fuisse fertur et jurgiosa. Alcibiades demiratus illius intemperies in maritum, interrogavit Socratem, quaenam ratio esset, cur mulierem tam acerbam domo non exigeret. Quoniam, inquit Socrates, dum illam domi talem perpetior, insuesco et exerceor, ut ceterorum quoque foris petulantiam et injuriam facilius feram.

61. *Книги Сивиллины.*

Anus incognita ad Tarquinium Superbum, septimum et ultimum Romae regem, venit, novem libros ferens, quos

esse dicebat divina oracula: eos velle se venundare. Tarquinius pretium percontatus est: mulier nimium atque immensum poposcit 1) Rex, quasi anus aetate desiperet, derisit 2). Tum illa foculum coram cum igni apponit, tres libros ex novem deurit, et an reliquos sex eodem pretio emere vellet, regem interrogavit Tarquinius id multo magis risit dixitque, anum jam procul dubio delirare. Mulier ibidem statim tres alios libros exussit 3), atque id ipsum denuo placide rogat, ut tres reliquos eodem pretio emat. Tarquinius jam serius atque attentior fit; eam constantiam confidentiamque non contemnendam esse intelligit: libros tres reliquos mercatur nihilo minore pretio quam quod erat petitum pro omnibus. Eam mulierem tunc a Tarquinio digressam 4) postea nusquam visam esse ferunt. Libri tres in sacrarium conditi Sibyllini appellati. Ad eos, quasi ad oraculum, sacerdotes quidam adibant, quoties Romani deos publice consulendos esse censebant.

1) poscere. 2 deridere. 3 exurere 4 digredi.

62. *Наказаніе не есть признакъ гнѣва.*

Plutarchus servo suo, nequam homini et contumaci, sed erudito et in libris philosophorum versato, tunicam detrahi, ob nescio quod delictum, caedique eum loro jussit. Coeperat verberari, et obloquebatur, se non meruisse, ut vapularet; nihil mali, nihil sceleris admisisse Postremo vociferari inter vapulandum incipit: non ita facere Plutarchum, ut deceret philosophum. irasci turpe esse: saepe eum de malo iracundiae edisseruisse: librum quoque pulcherrimum ea de re conscripsisse; iis omnibus, quae in eo libro scripta sint, nequaquam convenire, quod nunc tam iratus plurimis plagis se mulcaret Tum Plutarchus lente et leniter, Quid, verbero, inquit? Num ego tibi nunc irasci videor? ex vultune meo, an ex voce, an ex colore, an etiam ex verbis intelligis, me ira correptum 1) esse? Mihi neque oculi, opinor, truces sunt, neque os turbidum, neque immaniter clamo, neque trepido, neque spuma aut rubore iram prodo: neque pudenda dico aut poenitenda. Haec enim omnia, si ignoras, signa esse irae solent — Et simul ad eum, qui caedebat, conversus 2), Interim, inquit, dum ego atque hic disputamus, hoc tu age 3).

1) corripere. 2) convertere. 3) дѣло свое.

63. Вѣрный конь.

Equus Alexandri regis Bucephalus nominabatur. Emptus 1) erat talentis tredecim, et regi Philippo, patri Alexandri, donatus. In hoc equo dignum memoria visum, quod, ubi ornatus erat armatusque ad proelium, nunquam conscendi sese ab alio, nisi a rege, passus 2) est. Quum in eo insidens Alexander bello Indico et facinora faciens fortia, in hostium cuneum non satis cautus irruisset, conjectis undique in Alexandrum telis, vulneribus altis in cervice atque in latere equus perfossus est 3): moribundus tamen ac prope jam exsanguis e mediis hostibus regem vivacissimo cursu retulit; atque, ubi eum extra tela extulerat, illico concidit, et quasi cum solatio, quod dominus superstes esset, animam exspiravit. Tum rex Alexander, parta 4) ejus belli victoria, oppidum in iisdem locis condidit, atque ob equi honores Bucephalon appellavit.

1) emere. 2) pati. 3) perfodere. 4) parere.

64. Богатая добыча.

Hannibal, Carthagine expulsus 1), apud regem Syriae Antiochum commorabatur. Ostendebat ei aliquando Antiochus in campo copias ingentes, quas bellum populo Romano facturus comparaverat: exhibebatque exercitum insignibus argenteis et aureis ornatum. Inducebat etiam currus cum falcibus 2), et elephantos cum turribus: equitatumque frenis, ephippiis, monilibus, phaleris praefulgentem. Atque ibi rex contemplatione tanti ac tam ornati exercitus gloriabundus Hannibalem adspicit, et, Putasne, inquit, conferri posse hunc exercitum cum Romano, ac satis esse credis Romanis haec omnia? Tum Hannibal eludens ignaviam imbelliamque militum ejus pretiose armatorum, Satis plane, inquit, esse credo Romanis haec omnia, etiamsi avarissimi sint. Nihil neque tam lepide, neque tam acerbe dici potest. Rex de numero exercitus quaesierat et an par futurus esset Romanis: respondit Hannibal de praeda.

1) expellere. 2) колесницы, бывшія въ употребленіи на войнѣ.

65. Нарушители клятвы.

Jusjurandum apud Romanos inviolate sancteque servatum est. Post proelium Cannense 1) Hannibal, Carthaginiensium imperator, ex captivis Romanis electos 2) decem

Romam misit 3), mandavitque eis ut, si populo Romano videretur, permutatio fieret captivorum. Hos priusquam proficiscerentur, jurare coëgit 4), redituros se esse in castra Punica, si Romani captivos non permutarent. Veniunt Romam decem captivi. Mandatum Poeni imperatoris in senatu exponunt. Permutatio senatui non placuit. Parentes, cognati, affinesque captivorum amplexi eos, ne ad hostes redire vellent, orabant. Tum octo ex iis responderunt, se vinctos 5) esse jurejurando, statimque ad Hannibalem profecti 6) sunt. Duo reliqui Romae manserunt 7), ac liberatos se esse jurejurando dicebant, quoniam, quum egressi 8) castris hostium fuissent, regressi essent eodem die, tanquam si aliquid obliti 9) essent, atque ita jurejurando satisfecissent 10), quo promiserant, se redituros esse. Haec eorum fraudulenta calliditas tam turpis existimata est, ut contempti 11) vulgo sint, censoresque eos postea omnibus damnis et ignominiis affecerint, quoniam non fecissent, quod se facturos juraverant.

1) Сраженіе при Каннахъ во 2ю Пуническую войну, гдѣ Ганнибалъ разбилъ Римлянъ. 2 eligere. 3) mittere. 4) cogere. 5) vincire. 6) proficisci. 7) manere. 8) egredi. 9) oblivisci. 10) satisfacere. 11) contemnere.

66. *Необыкновенное знаніе языковъ.*

Mithridates, Ponti atque Bithyniae rex inclytus, qui a Cn. Pompejo bello superatus est, quinque et viginti gentium, quas sub ditione habuit, linguas percalluit, cum earumque omnium gentium viris haud unquam per interpretem collocutus est, sed cum unoquoque lingua ipsius non minus scite, quam si gentilis ejus esset, locutus est.

67. *Удачное объясненіе солнечнаго затмѣнія.*

Pericles, cum classe Atheniensium ad bellum profecturus 1), triremem jam conscenderat. Eo ipso tempore forte defecit sol. Quumque tenebrae coelo obductae essent, terror, ut prodigio oblato 2) magno, incessit omnes. Gubernatorem autem Pericles trepidum et stupentem cernens, chlamydem objecit 3) oculis ejus, et ita tectum 4) interrogavit, num quid horrendi id esset aut calamitatem aliquam portenderet. Negavit ille. Tum Pericles, Quid, inquit, inter hoc et illud interest, nisi quod illud, quod coelum caligine texit, grandius chlamyde est?

1) proficisci. 2) offerre. 3) objicere. 4) tegere.

68. *Александрова щедрость.*

Alexander Magnus admodum erat comis atque liberalis. Gregarius quidam miles in Macedonum exercitu mulum agebat auro regio onustum. Defesso jumento sarcinam ipse in humeros sublatam 1) portabat. Vidit rex onere oppressum 2), ac re intellecta, quum ille onus depositurus 3) esset Ne defatigeris, inquit, sed absolve reliquum itineris, atque in tentorium tuum hoc defer 4).

1) tollere 2) opprimere. 3 deponere 4) deferre.

69. *Кто щастливъ?*

Quum esset ex Socrate quaesitum 1), Archelaum regem, Perdiccae filium, qui tum fortunatissimus habebatur, nonne beatum putaret: *Haud scio*, inquit; *nunquam enim cum eo collocutus sum.* — Ain tu 2)? An tu aliter id scire n n potes? — *Nullo modo.* — Tu igitur ne de Persarum quidem rege magno potes dicere, beatusne sit? — *An ego possim, quum ignorem, quam sit doctus, quam vir bonus?* — Quid? tu in eo sitam vitam beatam putas? — *Ita prorsus existimo, bonos esse beatos, improbos vero miseros.* — Miser ergo Archelaus? — *Certe, si injustus.*

1) quaerere 2) aisne tu? вмѣсто: что ты говоришь.

70. *Не говори о томъ, чего не понимаешь, по крайней мѣрѣ въ присутствіи людей знающихъ.*

Quum Hannibal, Karthagine expulsus 1), Ephesum venisset exul, et invitatus esset ab hospitibus suis, ut Phormionem philosophum, si vellet, audiret, quumque se velle dixisset, locutus esse dicitur homo copiosus 2) aliquot horas de imperatoris officio et de omni re militari. Tum, quum ceteri, qui illum audierant, vehementer essent delectati, quaerebant ab Hannibale, quidnam ipse de illo philosopho judicaret. Hic Poenus libere respondisse fertur, multos se deliros senes saepe vidisse; sed qui magis quam Phormio deliraret, vidisse neminem.

1) expellere. 2) им нно Ф рміонъ.

71. *Величіе души.*

Quum Epaminondas vicisset 1) Lacedaemonios apud Mantineam, simulque ipse gravi vulnere exanimari se videret, quaesivit 2), ut primum 3) dispexit 4), salvusne esset clypeus? Quum salvum esse flentes sui respondissent, re-

gavit, essentne fusi 5) hostes? Quumque id quodque ut cupiebat, audivisset, evelli jussit eam, qua erat transfixus, hastam. Ita multo sanguine profuso 6) in laetitia et in victoria est mortuus.

1) vincere. 2) quaerere. 3) лишь только. 4) dispicere. 5) fundere. 6) profundere истекши кровію.

72. *Что человѣкъ?*

Quum Plato philosophus, hominem ita definivisset: Homo est animal bipes implume, ejusque discipulis placuisset haec definitio; Diogenes gallum gallinaceum, cui pennas evellerat, in scholam Platonis invexit *), dicens: Ecce hominem Platonis!

*) invehere.

73. *Тунеядцы.*

Muribus ad Diogenis mensam subrepentibus, En, inquit, Diogenes quoque parasitos alit.

74. *Рѣдкость хорошаго человѣка.*

Lucernam accensam circumferens Diogenes ambulabat in foro clarissima luce, quaerenti similis. Rogantibus quid ageret, *Hominem*, inquit, *quaero*. Quo dicto vituperabat publicos civitatis mores, in qua vix quisquam dignus esset hominis nomine.

75. *Выгодная защита.*

Animadvertens quendam imperite jaculantem, proxime scopum consedit Diogenes, et quum ex eo quaereretur, cur id faceret: *Ne forte*, inquit, *ille me feriat.*

76. *Малый городъ.*

Quum Myndum venisset Diogenes, quae urbs admodum parva erat, sed magnis atque magnificis portis ornata, exclamavit: Cives Myndii, portas claudite, ne urbs vestra egrediatur.

77. *Бѣглый слуга.*

Quum unicus Diogenis servus aufugisset, suadebant omnes, ut eum quaereret. Non faciam, inquit. Ridiculum esset, quum ille sine me vivere possit, me sine eo vivere non posse.

78. *Слуга - повелитель.*

Quum in insulam Aeginam navigaret Diogenes, a piratis captus est et in Cretam deductus, ibique venundatus,

Praecone autem interrogante, quid calleret, respondit: *Hominibus imperare:* simulque digito monstravit Corinthium quendam, nomine Xeniadem, magnifico cultu exornatum, et, *Huic*, inquit, *me vende, hic enim domino indiget.* Emit igitur illum Xeniades, et secum ductum filiis praeceptorem dedit, et toti domui praefecit. In hoc munere ita se gessit *), ut Xeniades ubique diceret: Bonus genius domum meam ingressus est.

*) gerere.

79. *Брошенный стаканъ.*

Diogenes ubique secum ferre poculum ligneum solebat, quo aquam sibi e fonte aut fluvio hauriret et biberet. Sed quum videret aliquando puerum manibus aquam sibi haurientem, abjiciens poculum, Apage, inquit: quid mihi opus est te? Carere te possum; nam manus idem mihi officium in posterum praestabunt.

80. *Діогенъ и Александръ.*

In Isthmum convenerant Graeci, ut bellum contra Persas decernerent, et Alexandrum, Macedoniae regem, ducem in hoc bello constituerunt. Confluebant ad Alexandrum omnes viri celebriores salutantes ac gratulantes. Solus deerat Diogenes, qui tum apud Corinthum 1) degebat, Alexandrum nihil curans. Qui quum satis diu eum exspectasset, tandem, ut hominem cognosceret, ipse ad illum cum comitibus profectus est 2). Invenit sub dio apricantem. Tum autem paullulum se allevavit, quum tanta hominum caterva accederet, et Alexandrum adspexit. Comiter eum salutat Alexander et hortatur, ut aliquis sibi expetat. At Diogenes: Hoc unum te rogo, ut e sole paullisper recedas. — Obstupuit 3) Alexander viri omnia contemnentis animo, et, quum comites eum abeuntes deriderent, dixit: Ego vero, nisi Alexander essem, sane Diogenes esse vellem.

1) Коринѳъ находился на перешейкѣ сегожъ имени. 2) proficisci. 3) obstupescere.

81. *Алкивіадова собака.*

Erat Alcibiadi canis inusitata magnitudine et specie, quem septuaginta minis emerat. Huic caudam perpulchram detruncavit. Quum objurgarent eum familiares dicerentque, vulgus hac de re loqui ipsumque vituperare, subridens, Fit igitur, inquit, quod volui; volui enim, Athenienses hac re loqui, ne quid deterius de me loquerentur.

82. *Жестокая награда за жестокое изобрѣтеніе.*

Perillus, artifex ingeniosus, quum Agrigentum venisset, ut placeret Phalaridi, civitatis hujus tyranno, ex aere taurum artificiosissimum fabricavit, in cujus latere januam posuit, ut, quum inclusus aliquis subjectis ignibus torqueretur, mugitum, non hominis vocem, videretur emittere. Hunc taurum tyranno, quem novis hominum tormentis delectari sciebat, obtulit, et praemium inventionis petit. At tyrannus ipsum primum includi jussit in tauro atque comburi.

83. *Вѣрная собака.*

Pyrrhus rex in itinere 1) incidit in canem, qui interfecti hominis corpus custodiebat. Quum audisset, eum jam tres dies cibi expertem assidere, nec a cadavere discedere; hominem jussit humari, canem vero secum duci atque curari diligenter. Paucis post diebus militum lustratio habetur. Transeunt singuli sedente rege. Aderat canis. Is, quum antea quietus et tacitus fuisset, simulac vidit domini sui percussores transire, procurrit furens eosque allatravit, subinde se ad Pyrrhum obvertens, ita quidem, ut non modo rex, sed omnes, qui aderant, suspicionem de iis conciperent. Ergo comprehensi et examinati, levibus quibusdam signis aliunde accedentibus, fassi 2) homicidium poenas dederunt.

1) iter. 2) fateri.

84. *Слишкомъ жестоко наказанная торопливость.*

Seleucus, Syriae rex, in pugna adversus Galatas omnibus copiis amissis, abjecto diademate, eques cum tribus vel quatuor comitibus profugit. Quum diu per devia vagatus esset, jamque de deverticulo desperaret, tandem ad casam aliquam pervenit, et, quum forte in dominum incidisset, panem et aquam petiit. Ille non haec modo, sed quae praeterea ruri aderant, liberaliter comiterque praebuit. Quumque faciem regis agnovisset 1), non continuit gaudium nec dissimulationem regis latere cupientis adjuvit, sed quum in viam eum deduxisset, discedens, Vale, inquit, rex Seleuce. Tum rex, porrecta 2) dextra eum ad se trahens, velut osculaturus, uni comitum nutu praecepit, ut gladio cervicem hominis praecideret. Hic si tacuisset, et se aliquantulum repressisset 3), paullo post a rege rursus florente majus

fortasse pro silentio, quam pro hospitalitate praemium accepisset.

1) agnoscere. 2) porrigere. 3) reprimere.

85. *Послушный слуга.*

P. Piso orator, ne interpellaretur, servis praeceperat, ut tantum ad interrogata responderent, et nihil praeterea dicerent. Evenit, ut Clodium, qui tum magistratum gerebat, ad convivium inuitari juberet. Hora coenae instabat. Aderant ceteri convivae omnes, solus exspectabatur Clodius. Piso servum, qui convivas invitare solebat, aliquoties emisit 1) visum 2), an veniret. Vespere jam facto quum adventus ejus desperaretur, Piso servo, Dic, inquit, an forte non invitasti Clodium? — *Invitavi*, respondit. — Cur ergo non venit? — *Quia venturum 3) se negavit.* — Cur id non statim dixisti? — *Quia de eo non sum abs te interrogatus.*

1) emittere. 2) videre. 3) venire.

86. *Сократова кротость.*

Socratem quum in via nescio quis per lasciviam calcitrasset, admirante quodam, quod id tam patienter ferret, Quid? inquit; si me asinus calce petivisset, an illum in jus vocarem?

87. *Привѣтствующій воронъ.*

Post Actiacam victoriam 1) Augusto occurrit aliquis inter gratulantes corvum tenens, quem haec dicere instituerat: *Ave Caesar, victor, imperator.* Miratus Caesar officiosam avem viginti millibus nummorum 2) emit. Salutatus similiter a psittaco emi eum jussit. Idem miratus in pica hanc quoque emit. Exempla haec sutorem pauperem permoverunt, ut corvum institueret ad parem salutationem. Is saepe ad avem non respondentem dicere solebat: *Oleum et operam perdidi* 3). Tandem corvus salutationem dicere coepit. Tum Augusto obtulit 4) avem. Qui quum audiret corvi salutationem, *Satis*, inquit, *domi salutatorum talium habeo.* At corvus apposite addidit: *Oleum et operam perdidi.* Risit 5) Augustus, emique avem jussit, quanti nullam adhuc emerat.

1) Актійская побѣда надъ Антоніемъ. 2) именно 20000 сестерцій. 3) издержки и трудъ потеряны. 4) offerre. 5) ridere.

88. Два живописца.

Apelles et Protogenes celeberrimi aetatis suae pictores fuere. Protogenes Rhodi vivebat: quo quum Apelles adnavigasset, avidus cognoscendi opera Protogenis, fama tantum sibi cogniti, continuo officinam ejus petiit. Aberat ipse, sed tabulam amplae magnitudinis in machina 1) aptatam picturae anus una custodiebat. Haec Protogenem foris esse respondit: interrogavit, a quo ipsum quaesitum 2) diceret. Ab hoc, inquit Apelles: arreptoque 3) penicillo lineam ex colore duxit summae tenuitatis per tabulam. Reverso 4) Protogeni, quae gesta erant 5), anus indicavit. Artifex, protinus subtilitatem contemplatus, dixit: Certe Apelles adfuit 6), non enim alius tam subtile opus perficere potuit. Tum ipse alio colore tenuiorem lineam in illa ipsa duxit, et abiens praecepit, si redisset ille, ostenderet adjiceretque, hunc esse, quem quaereret. Atque ita evenit. Revertitur enim Apelles, sed vinci erubescens, tertio colore lineas secuit 7), nullum amplius locum relinquens subtiliori lineae. At Protogenes, victum 8) se confessus 9), in portum devolavit hospitem quaerens.

1) на станкѣ. 2) quaerere. 3) arripere. 4) reverti. 5) gerere. 6) adesse. 7) secare. 8) vincere. 9) confiteri.

89. Живописецъ и Царь.

Apelles Alexandro Magno propter et artem et comitatem gratissimus fuit. Quare rex frequenter in ejus officinam ventitabat, et ab alio pingi se vetuerat 1) edicto. Quum aliquando in officina imperite multa dissereret de arte pingendi deque coloribus, silentium ei comiter suasit 2) Apelles, rideri eum dicens a pueris, qui colores tererent. Tantum ei erat auctoritatis apud regem alioquin iracundum.

1) vetare 2 suadere.

90. Обличенный обманщикъ.

Apelli in comitatu Alexandri gratia non fuerat cum Ptolemaeo. Qui quum post mortem Alexandri rex Aegypti factus esset, Apelles in navigatione vi tempestatis Alexandriam expulsus 1) est. Tum subornarunt aemuli ejus 2), qui eum regis nomine ad coenam invitaret. Apelles miratur, ab inimico se invitari: venit tamen ad coenam. Indignatur Ptolemaeus. Quid vis? inquit. Quis te invitavit? Apelles quum nomen vocatoris dicere non posset, arrepto

carbone exstincto e foculo, imaginem ejus in pariete delineavit ita, ut protinus rex inchoata imagine vultum fraudatoris agnosceret.

1) expellere. 2) sc. aliquem.

91. Искусно нарисованная картина.

Fuerunt olim duo nobiles pictores, alter Zeuxis, alter Parrhasius appellatus. Hi aliquando de arte certarunt. Zeuxis uvas pinxerat, atque sic erat imitatus naturae veritatem, ut aves ad tabulam advolarent. Tum Parrhasius tabulam attulit, in qua linteum pinxerat. Zeuxis deceptus verum esse linteum putavit, sub quo pictura occultaretur. Quum igitur diutius morari videretur Parrhasius, Zeuxis flagitabat, ut remoto 1) tandem linteo ostenderet picturam Parrhasius. Tum intellecto errore palmam Parrhasio detulit ingenuo pudore, quoniam ipse aves fefellisset 2), Parrhasius autem se artificem.

Postea rursus Zeuxis pinxit puerum uvas ferentem. Ad quas quum advolasset avis, processit 3) iratus operi et dixit: Uvas melius pinxi, quam puerum. Nam si et hanc picturae partem consummassem, avis timere debuerat.

1) removere. 2) fallere. 3) procedere.

92. Похититель воловъ.

Hercules aliquando ex Hispania, ubi praedatus erat regis Geryonis boves eximia specie, in Italiam venit. Boves illos prae se agens, Tiberim fluvium nando trajecit et prope eum loco herbido, ut quiete et pabulo laeto reficeret boves, quum et ipse fessus esset via, procubuit 1). Ibi quum eum sopor oppressisset 2), pastor, accola ejus loci, nomine Cacus, ferox viribus, captus 3) pulchritudine boum, avertere eam praedam concupivit 4). Sensit autem, si armentum in speluncam compulisset 5), ipsa vestigia quaerentem dominum eo deductura esse. Itaque aversos 6) boves caudis in speluncam traxit. Hercules ad primam auroram somno excitatus quum gregem perlustrasset oculis, et partem abesse numero sensisset, pergit ad proximam speluncam, si forte eo vestigia ferrent. Quae ubi omnia foras versa vidit, nec in partem aliam ferre, confusus atque incertus animi ex loco infesto agere porro armentum coepit. Inde quum actae 7) boves quaedam desiderio relictarum 8) mugissent, reddita est e spelunca inclusarum 9) boum vox.

Tum Hercules rediit, et quum eum vadentem ad speluncam Cacus vi prohibere conatus esset, clava Herculis ictus morte occubuit 10).

1) procumbere. 2) opprimere 3) capere. 4) concupiscere. 5) compellere. 6) avertere. 7) agere. 8) relinquere. 9) includere. 10) occumbere.

93. *Признательный левъ.*

Romae aliquando venationis amplissimae pugna 1) populo dabatur. Multae ibi erant saevientes ferae inusitata aut forma aut ferocia. Sed praeter alia omnia leonum immanitas admirationi fuit, praeterque omnes ceteros unius. Is unus leo corporis vastitudine terrificoque fremitu et comis fluctuantibus animos oculosque omnium in sese convertit. Introductus erat inter complures alios ad pugnam bestiarum servus viri consularis. Ei servo Androclus nomen fuit. Hunc ille leo ubi vidit procul, repente quasi admirans stetit, ac deinde sensim atque placide tanquam noscitabundus ad hominem accedit: tum caudam more atque ritu adulantium canum blande movet, hominisque sese corpori adjungit, cruraque ejus et manus, prope jam exanimati metu, lingua leniter demulcet. Androclus inter illa tam atrocis ferae blandimenta amissum animum recuperat: paullatim oculos ad contuendum leonem refert. Tum quasi mutua recognitione facta, laeti adstiterunt et gratulabundi homo et leo. Ea re tam admirabili maximi populi clamores excitati sunt, arcessitusque a Caesare Androclus interrogatus est, cur ille atrocissimus leonum uni pepercisset 2). Ibi Androclus rem mirificam narrat. Quum, inquit, dominus meus in provincia Africa proconsul esset, ego ibi iniquis ejus et quotidianis verberibus ad fugam sum coactus 3): et ut mihi a domino, terrae illius praeside, tutiores latebrae forent, in camporum et arenarum solitudines concessi, ac si defuisset 4) cibus, consilium fuit, mortem aliquo pacto quaerere. Tum sole, inquit, medio flagrante specum quandam nactus remotam latebrosamque, in eam me recondo. Neque multo post ad eandem specum venit hic leo, debili uno et cruento pede, gemitus edens et murmura, dolorem cruciatumque vulneris significantia. Primo quidem conspectu advenientis leonis territus sum et pavefactus. Sed postquam introgressus leo in habitaculum illud suum vidit me procul delitescentem, mitis

et mansuetus accessit, ac sublatum 5) pedem ostendere, ac porrigere, quasi opis petendae gratia, visus est. Ibi ego stirpem ingentem, vestigio pedis ejus haerentem, revelli, saniemque expressi 6), accuratiusque sine magna jam formidine siccavi penitus atque detersi 7) cruorem. Ille tunc mea opera et medela levatus, pede in manibus meis posito recubuit 8) et quievit 9). Atque ex eo die triennium totum ego et leo in eadem specu eodemque victu viximus 10). Nam earum, quas venabatur, ferarum membra opimiora ad specum mihi suggerebat, quae ego, ignis copiam non habens, sole meridiano tosta 11) edebam. Sed ubi me vitae illius ferinae jam pertaesum est 12), leone in venatum profecto 13), reliqui 14) specum et viam fermè tridui permensus 15), a militibus visus apprehensusque sum, et ad dominum ex Africa Romam deductus. Is me statim capitis damnavit deditque ad bestias 16). Intelligo autem, hunc quoque leonem, me tunc separato, captum esse, et nunc gratiam mihi beneficii et medicinae referre Haec dixit Androclus. Tum cunctis petentibus dimissus est et poena solutus 17), leoque ei suffragiis populi donatus. Postea Androclus et leo, loro tenui revinctus, urbe tota circum tabernas ibant; donabatur aere Androclus, floribus spargebatur leo; omnes fere obvii dicebant: Hic est leo hospes hominis, hic est homo medicus leonis.

1) любопытная звѣриная битва. 2) parcere. 3) cogere 4) deesse. 5) tollere. 6) exprimere. 7) detergere 8) recumbere. 9) quiescere. 10) vivere 11) torrere. 12) pertaedet. 13) proficisci. 14) relinquere. 15) permetiri. 16) осудилъ меня на звѣриную битву. 17) solvere.

VI.

ДОСТОПАМЯТНОСТИ ИЗЪ ЕСТЕСТВЕННОЙ ИСТОРІИ.

(Изъ Плинія, Колумеллы, Цицерона и Цельса.)

1. *О тѣлахъ земныхъ.*

Corpora, quae in orbe terrarum conspicimus atque tangimus, aut sunt plantae, aut animalia, aut neutrum.

Tertii generis corpora aut fluida sunt, aut solida, quae dicuntur fossilia. Fluidorum praecipua sunt aër et aqua.

Aether vocatur fluidorum omnium subtilissimum, quo compleri spatia mundi extra aërem nostrum creduntur.

Fossilia vel cremabilia sunt, vel salia, vel terrae et lapidum genera, vel metalla.

Ad fossilia, quae ignem et flammam concipiunt, refertur sulphur.

Terrae plura sunt genera, e. g. argillosa, calce mixta, item arena.

Lapidum alii duriores sunt, ut silex, marmor; quorum qui duritie, splendore, pelluciditate, colorum pulchritudine ceteros vincunt, gemmae dicuntur; alii friabiles, ut rubrica. Omnes autem e simplicioribus terrae generibus, multi etiam e salibus et metallis compositi sunt. Et maximam quidem partem 1), quibus utimur, metalla ex ejusmodi lapidibus extrahuntur.

A metallis olim quasi metallorum 2) appellatione distinguebantur ea, quae fabrili arte aegre possunt tractari, ut stibium, cadmia. Nunc verius metallis accensentur e fossilibus omnia, quae, quamvis opacissima, splendorem tamen externum habent, et magis minusve ductilia sunt. Ex quibus ea quae maxima in usum hominum convertuntur sunt aurum, argentum, aes sive cuprum, ferrum, stannum, plumbum. Et aurum quidem atque argentum ob puriorem splendorem, minusque obnoxium corruptioni, nobilia vocantur metalla. Metallorum levissimum lapide ponderosissimo gravius est.

Plantarum materia aut lapidosa est, aut cornea, aut lignosa, aut straminea, aut quasi coriacea, aut pilosa, aut herbosa, aut viscida. Partes plantarum praecipuae sunt radix, truncus et rami, folia, gemmae, flores et fructus.

1) по большой части. 2) полуметаллъ.

2. *О царствѣ животныхъ вообще.*

1. Omnia animalia vita et sensu fruuntur, paucisque generibus exceptis locum permutant. Quorum quae quatuor pedibus incedunt, ut bos, equus, ovis, canis et innumera alia, *quadrupedum* nomine insigniri solent. Quum tamen in his aliam plane naturam habeant, quae vivos fetus pariunt, aliam, quae ova; commodior visa est rerum naturalium peritis alia divisio, quae nutritionem fetus, non pedes spectat. Itaque *mammosorum* nomine maximam quadru-

pedum partem, et multas praeterea marinas belluas ut phocas et omnia cete *) complectimur. Haec pullos lacte ex uberibus alunt, donec cibum ipsi sibi parare possint. Ora omnium dentibus sunt armata; corpora autem terrenorum, ut et nonnullorum e marinis, pelle ac pilis tecta sunt.

*) cetus.

2. Quae binis tantum incedunt pedibus et plumis sunt obducta, alisque, quibus per aërem feruntur, instructa, *aves* appellamus. Tales sunt aquila, ciconia, multaeque aliae. Hae pariunt ova, e quibus pulli prodeunt. Rostris praeterea ad cibum capiendum sunt instructae.

3. *Piscibus* pro pedibus datae sunt pinnae, quarum beneficio in aquis natant: squamis sunt obducti, ovula pariunt, ex quibus pisciculi exclusi statim undas permeant, et alimenta sibi idonea inveniunt. Pisces omnes branchiis, non pulmonibus respirant; extra aquam cito pereunt.

4. *Amphibia* proprie vocantur, quae in aquis et in terra perinde vivunt. Sed quum sic ea definientes diversissimae naturae bestias conjungere, simillimas segregare cogeremur: rectius hodie nulla locorum ratione habita, amphibiorum nomine comprehendimus genera omnia, quae sanguine rubro quidem, sed frigido, praedita sunt, perinde ut pisces, a quibus eo tantum distinguuntur, quod pulmonibus respirant. Eorum autem alia quatuor pedibus ad eundum et ad natandum aptis utuntur, ut ranae, lacertae, testudines. Alia vero pedibus omnino carent, ideoque serpunt, ut angues. Utrorumque plurima genera ovula ponunt, ex quibus fetus prodeunt.

5. *Insecta* sunt bestiolae, duriuscula et plerumque fragili cute vestitae. Maxima eorum pars pluribus quam quatuor pedibus et praeterea ad volandum alis est praedita. Oriuntur ex ovulis, unde vermiculi primo exeunt, qui deinde in perfectiores papilionum, cicadarum, muscarum formas mutati, corpora in tria segmenta, caput, thoracem, abdomen, distincta habent.

6. *Vermium* corpus molle est pedibusque destitutum. Maxima pars supra terram aut in aqua tardo reptant gradu, dum se ipsos eundo contrahunt rursusque extendunt, ut lumbrici et cochleae. Alia locum mutare nequeunt, ut coralia, quorum lapidosa, quibus inhaerent, domicilia scopulis aut fundo maris infixa sunt. Aliorum nudum est corpus;

aliis, ut cochleis conchyliisque, tegumento est *) dura testa.
Praeter memoratas bestiolas insignis talium superest multitudo, quae aciem oculorum plane effugiunt.

*) служить защитою.

3. Разнообразіе животныхъ.

Animantium in orbe terrarum magna varietas est. Terrenae sunt aliae, partim aquatiles, aliae in utraque sede viventes. Aliae sunt quadrupedes, aliae bipedes, aliae multipedes, aliae pedibus carent. Omnibus fere certus motus est; vel ambulant enim et gradiuntur, vel saliunt, vel currunt, vel volant, vel nant, vel serpunt. Aliae nudis coriis tectae sunt, aliae villis vestitae, aliae pilo, aliae setis, aliae spinis, aliae cortice, aliae testis integuntur, aliae aspera cute, aliae molli: pluma alias, alias squama videmus obductas; aliae cornibus armatae sunt, aliae habenr pennas, quibus aufugiunt. Cibus partim oris hiatu et dentibus ipsis capessunt, partim unguium tenacitate arripiunt, partim aduncitate rostrorum. Aliae sugunt, aliae carpunt, aliae vorant, aliae mandunt. Atque etiam aliarum ea est humilitas, ut cibum terrestrem rostris facile contingant. Quae autem altiores sunt, ut anseres, ut cygni, ut grues, ut cameli, ut struthiocameli, adjuvantur proceritate collorum; et maximum animalium terrestrium elephantus, quia propter magnitudinem corporis difficiles aditus habet ad pastum, proboscide utitur vice manus. At bestiis, quae alijus generis bestiis vescuntur, aut vires datae sunt, aut celeritas; data et quibusdam etiam machinatio quaedam atque solertia, ut araneolis; quarum aliae quasi rete texunt, et si quid incidit *), arripiunt idque consumunt.

*) Если что къ нимъ приближится.

4. О животныхъ четвероногихъ.

1. Pauca sunt quadrupedia animalia, quae ova ponunt, e quibus pulli vel tepore matris incubantis vel solis calore excluduntur. Ovipara haec quadrupedia *amphibiis* annumerantur, eorumque alia pedes habent brevissimos, ita ut lentissime ambulent, quales sunt testudines; alia habent longiores et celerius ambulant, e quo genere sunt lacertae; alia pedes habent pro reliqua corporis mensura longissimos, et posteriores anterioribus longiores, quo fit, ut salire possint, cujus generis sunt ranae.

2. Quadrupedum pars longe maxima vivos pullos parit, et in *mammosorum* numero habetur. In his omnibus

similis est structura partium et viscerum, quibus ad vitam sustentandam utuntur.

3. Plurima quadrupedia dentes habent pro varietate ciborum, quibus aluntur, diversos. E. c. carnivora acutos habent dentes, quibus praedam discerpere possint. Cibus deglutiunt in ventriculum, qui eos concoquit. Inde in visceribus chylus conficitur, qui in venas transit, atque ita cum sanguine commistus nutriendo corpori inservit. Retrimenta cibi per alvum ejiciuntur.

4. Quadrupedia pro varia corporis forma variis armis instructa sunt, quibus se suosque tueri possint. Boves cornibus feriunt, equi calcibus pedum posteriorum. Elephantus rostro ac dentibus duobus longis prominentibus pugnat. Rostro prosternit hostem, dentibus configit, ac pedibus conterit. Quae vero mobiles ungues habent, ut leones, tigres, feles, his unguibus utuntur ad comprehendendam praedam; captam unguibus dilaniant, ac dentibus discerpunt. Canes, vulpes, lupi et alia ejusdem generis animalia dentibus mordent, hisque solis fere ad hostes propulsandos aut ad praedam capiendam utuntur. Simiae dentibus et unquibus pugnant. Pedibus etiam anterioribus, quibus pro manibus utuntur, lapides aliaque tela in hostes jaciunt. Quae corpora habent aculeis praedita, ea in globi seu pilae formam se contrahunt, ne laedi possint.

5. Nullum est quadrupes, quod non aliquam homini utilitatem praebeat. Tigrides, Lynces, Ursi, Alces, Castores, Vulpes aliaque multa pelles nobis suppeditant. Nonnullis canum generibus utimur ad persequendos cervos, capreolos, lepores, quibus vescimur. Aliis utimur ad nostram custodiam, vel oblectationem. Equus, Elephas, Camelus ad onera portanda nati videntur; itemque Taurus, ut subdat collum jugo; Vacca, ut lac, Ovis, ut lanam praestet.

6. Non in omnibus regionibus omnia quadrupedum genera reperiuntur, sed genus unumquodque eam potissimum incolit terrae partem, quae alimenta, quibus illud utitur, abundantiora aut meliora suggerit. Sic Simiae, Elephantes, Rhinocerotes calidas incolunt regiones: Tarandis contra glacialem Lapponiae regionem natura assignavit. Cameli arenosa ferventiaque amant deserta. Boves planitie, caprae praeruptis montibus, equi siluis apprime delectantur, et similis est aliorum indoles.

7. Nullum quadrupedum genus adeo ferox est, quin vehementer amet prolem suam, eamque defendat. Omnia

suo eam lacte nutriunt, donec venter solidiora recipere alimenta valeat. Quamdiu proles est tenera, diligenter eam custodiunt, et si forte periclitatur, omni modo ab insidiis atque vi tuentur.

5. *Обезьяна.*

1. Simiarum genera caudis inter se distinguuntur; aliae enim caudas habent, aliae iis carent. Quae non habent, ea genera hominis figurae simillima sunt. Utrumque tamen genus paene perfectam hominis imitationem refert facie, naribus, auribus, palpebris 1), quas solae quadrupedum etiam in inferiore habent gena 2). Porro mammas in pectore habent et brachia, in manibus ungues, digitos, longioremque medium digitum. Pedibus paullum differunt. Sunt enim ut manus praelongi, et vestigium palmae 3) simile faciunt. Pollex quoque his et articuli ut homini, viscera etiam interiora omnia ad exemplar hominis. Erectae ambulare possunt, posterioribus pedibus nixae 4), anterioribusque pedibus, ut homines manibus, a varia ministeria utuntur. Mira iis solertia est. Omnia fere, quae homines agere viderunt, imitantur. Visae sunt simiae, quae, quum conspexissent aliquem barbam sibi tondentem, arrepto cultro tonsorio jugulum sibi inciderent.

1) рѣсницы. 2) вѣжды. 3) ладонь. 4) nixi

2. Atque hoc ipso imitandi studio capi solent simiae. Nam venatores eas plerumque hac ratione fallunt. In conspectu earum aqua se perungunt, postea vasculum visco plenum aquae loco reponunt. Quo quum oculos et ora perunxerunt simiae, facile capiuntur. Decipiuntur et alio modo, quum venatorum calceis, dedita opera*) relictis, sese impediunt.

*) тщательно.

3. Nullum est animal, quod tam impense amet fetus suos, quam simia; saepius ipso complexu eos necat. In fuga alterum catulum prioribus membris recipit, alterum portat in dorso. Quem in dorsum excipit, minus amat: sed quum, urgente necessitate, vix potest effugere, illum, quem manibus tenet, abjicere cogitur; alter minus dilectus, qui dorso insidet, cum matre salvus et incolumis evadit.

4. Ceterum quamquam simiae multis rebus hominibus similes sunt, ratione tamen humana carent. Nunquam loqui discunt et ita fere se gerunt, ut bruta esse animalia facile agnoscas.

Velut in America simiae ubi vident homines struem lignorum incendere, et ad ignem, ut calefiant, sedere; ipsae quoque, postquam homines abiisse senserunt, accedunt ad ignem et calore delectantur, nulli tamen in mentem venit, ligna afferre, quae ignem nutriant; sed ubi exstinctum viderunt, abeunt.

5. Plurima simiarum genera in Asia atque Africa inveniuntur. Silvas incolunt in iisque sociae vivunt. Aluntur praecipue fructibus ac foliis. Vescuntur etiam frumento, imprimis oryza, milio aliisque frugibus atque oleribus 1). Amant aliae avium ova, aliae cochleas atque ostreas. Venatio earum saepe admodum difficilis est. Sauciae quoque saepe manu vel cauda ramis arborum ita inhaerent, ut ne mortuae quidem decidant. Neque raro in venatorem impetum faciunt, qui, si potest, periculi vitandi causa in aquam se recipit, quo eum non insectantur. Capta tamen femella, proles facile capitur atque mansuescit. Mansuetae variis cibis praeparatis imprimis etiam saccharo, fite 2) ac jusculis nutriuntur. Vescuntur sedentes. Escam manibus capiunt ac discerpunt, orique admovent. Potio illis est aqua; utuntur tamen etiam lacte, cerevisia, vino dulci. Agilis earum in scandendo et saltando velocitas incredibilis est. Indi illis vesci solent.

1) olus. 2) puls.

6. З а я ц ъ.

1. Lepus, animal notum et insigni velocitate praeditum, posteriores pedes anterioribus longiores habet; quo fit, ut non solum salire perniciter possit, sed etiam facilius colles ascendat quam descendat. Ceterum lepus timidissimum est animal, insidiasque fuga evitat plerumque. Nullum enim animal est, quod, lepori magnitudine par, cursu eum aequet. Urgentibus a tergo canibus aut in montes incredibili volubilitate sursum feruntur, aut in planitie agitati flexuoso cursu insectantem hostem fatigant. Auribus longis praediti sunt, ut imminentes insidias ex longinquo possint sentire. Statim igitur, instante periculo, tanta celeritate continuant cursum, ut saepe fugientes exanimentur. Lepores autem non canes tantum metuunt, sed etiam aquilas, a quibus, dum anniculi sunt, rapiuntur. Velocissimi sunt montani, minus veloces campestres, palustres autem longe tardissimi.

At qui locis omnibus oberrant, molesti sunt venatoribus in cursu. Norunt enim itinera compendiaria.

2. Vescuntur lepores beta, herbis, cortice, frugibus. Dormiunt plurimum et patentibus oculis, quoniam palpebrae eorum breviores sunt, quam ut illos commode tegere possint. Pili leporibus rutili sunt; in Alpibus tamen et ad septentrionem candidi reperiuntur. Hi semper candidi sunt, illi tantum saeviente hieme albescunt, aestate autem redeunte nativum recuperant colorem.

3 Ubivis fere in orbe terrarum inveniuntur lepores, eorumque incredibilis est fecunditas. Lepusculi dies viginti maternum lac sugunt; tum sponte matrem deserunt, dispersique victum sibi quaeritant. Nido tamen suo non procul abeunt et habitant.

7. Кроликъ.

Ex leporum genere etiam cuniculi sunt. Hujus quoque quadrupedis fecunditas magna est. Minor quidem est lepore cuniculus, sed paullo fortior. Quaerit antra sub terra. Mane et vesperi prorepit, atque in vestibulo antri sedens circumspectat. Urgentibus autem canibus confestim penetrat in cavernas nec extruditur, nisi intromissis viverris *), quae cuniculis sunt infestae. Has viverras injiciunt in cavernas, quae sunt multifores, atque ita cuniculos a viverris ejectos superne capiunt. Leporum atque cuniculorum pelles inserviunt vestibus pelliceis, pili pileis conficiendis.

*) viverra родъ ласточки, хорiокъ.

8. Бѣлка, крыса и др.

1. Sciuri, glires, mures, mures montani, aliaeque ejus generis animantes quatuor dentibus incisoribus praeditae sunt, quibus, quaecunque offendunt, arrodere solent.

2. Sciuri villosiorem habent caudam. Prioribus pedibus utuntur ut manibus, quibus cibos ad os admovent sedentes. Mira iis est saliendi dexteritas. Nitidum hoc est animal, alacre ac festivum. Habitat in ramis arborum silvestrium; raro in planitiem descendit. Vescitur nucibus, nucleis et pomis. Interdum et aviculam rapit. Colore rutilo est, sed hieme in plaga septentrionali ruborem in canitiem mutat. Nigri rari sunt, sed multo rariores nivei.

3. Glis animal muri simile, colore varium, in dorso canum, subtus album. Ineunte hieme abdit se in cava ar-

borum, et magnam anni partem somno consumens pinguescit. In deliciis mensae apud Romanos erat. Glires genitores suos fessos senecta alunt insigni pietate.

4. Mures vel domestici sunt vel agrestes. Illi pane, caseo, lardo, oleo, butyro et aliis ejusmodi alimentis pascuntur, omninoque omnibus, quae eis occurrunt et dentibus corrodi possunt. Inimicos habent feles, herinaceos, noctuas. Inveniuntur et candidi mures. Mures glandibus, nucibus, nucleis pascuntur. Nidulantur sub terra. Agros, sicut talpae, effodiunt; radices arborum defodunt; frugibus et arbusculis multum afferunt damni.

5. Mustelae venantur mures non solum minores, sed etiam majores illos, quos vulgo rattos dicunt; insidiantur etiam pullis gallinaceis, columbis, passeribus. Ova frangere et cupidissime exsorbere solent.

6. Mus montanus festivum est animal. Reperitur praecipue in Alpibus et in Sabaudia. Profundas sub terra cavernas sibi fodit, easque foeno et musco obducit. Variis vescitur plantis et radicibus, lactis est appetentissimus. Hieme hi mures obdormiscunt et in cavernis jacent quasi mortui, unde redeunte vere procurrunt rursus. Capti cicurantur, discunt saltare, tum hanc aliasque artes edocti a magistris Sabaudis circumferuntur spectandi.

9. *Собака.*

1. Ex his quoque animalibus, quae nobiscum degunt, multa sunt cognitu digna, fidelissimusque ante omnia homini canis. Pugnasse adversus latrones canem pro domino accepimus, confectumque plagis a corpore non recessisse, volucres et feras abigentem. Ab alio in Epiro agnitus est in conventu percussor domini, laniatuque et latratu coactus fateri scelus. Propter bella olim Colophonii itemque Castabalenses cohortes canum habuere: hae primae dimicabant in acie nunquam detrectantes: haec erant fidelissima auxilia, nec stipendiorum indiga. Saepius canis, domino mortuo aut interfecto, cibum capere noluit, inediaque consumptus est. Accenso regis Lysimachi rogo, canis illius injecit se flammae: similiterque Hieronis regis.

2. Soli canes semper dominum novere, et ignotum quoque dominum, si repente veniat, intelligunt, gaudiumque multis modis declarant advenienti. Soli nomina sua,

soli vocem domesticam agnoscunt. Itinera quamvis longa meminere. Nec ulli praeter hominem memoria major est.

3. Certum est, canes juxta Nilum amnem currentes lambere, ne crocodilorum aviditati occasionem praebeant. Indiam petenti Alexandro Magno rex Albaniae dono dederat canem inusitatae magnitudinis, cujus specie delectatus Alexander jussit ursos, mox apros, et deinde damas emitti; sed immobilis semper jacuit canis. Hac segnitie tanti corporis offensus imperator generosi spiritus eum interimi jussit. Nunciavit hoc fama regi Albaniae. Itaque alterum mittens addidit mandatum, ne in parvis eum experiri vellet, sed in leone elephantove. Duos sibi fuisse: hoc interempto praeterea nullum fore. Non distulit Alexander, leonemque fractum protinus vidit. Postea elephantum jussit induci, haud alio magis spectaculo laetatus. Horrentibus quippe per totum corpus villis, ingenti primum latratu intonuit: mox increvit animus, assultavitque contra belluam exsurgens hinc et illinc, artifici dimicatione infestans atque evitans, donec afflixit, ad casum ejus tellure concussa.

4. Bis plerumque uno anno copiosam prolem enituntur canes. Gignunt autem catulos caecos, et quo largiore aluntur lacte, eo tardiorem visum accipiunt, nunquam tamen ultra vicesimum primum diem, nec ante septimum. Rabies canum, cui diebus imprimis canicularibus obnoxii sunt, homini pestifera est. Solet ex morsu canis rabiosi aquae timor nasci, miserrimum genus morbi, in quo aeger simul siti et aquae metu cruciatur: hoc morbo oppressis exigua spes est. Remedium tamen esse dicunt nec opinantem in piscinam, quam non providerat, projicere.

5. Vivunt canes plerumque ultra quindecim annos, nisi rabie correpti, aut alio casu oppressi, pereant. Rabies si canem invaserit, ne domino quidem parcit; quare extemplo ejusmodi canis interficiendus est.

6. Canum permulta sunt genera. Utilissimi tamen venatici, pastorales seu pecuarii, et villatici. Villae custos eligendus est amplissimi corporis, vasti latratus, ut et conspectu maleficum terreat, et nonnunquam, ne visus quidem, horribili fremitu suo fuget furem insidiantem. Sit autem coloris unius, itaque magis, eligatur albus in pastorali, niger villatico: nam varius in neutro est laudabilis. Pastor album

probat, quoniam est ferae dissimilis, magnoque opus interdum discrimine est in propulsandis lupis subobscuro mane vel etiam crepusculo, ne, si non sit albo colore conspicuus, pro lupo canem ferias. Villaticus, qui hominum maleficiis opponitur, terribilior, si tectus tenebris tutius accedere possit ad insidiantem. Mores canis villatici sint neque mitissimi, neque rursus truces atque crudeles. Nam illi furem quoque adulantur, hi etiam domesticos invadunt. Satis est, severos esse nec blandos, ut nonnunquam etiam domesticos iratius intueantur, semper excandescant in exteros. Maxime autem debent in custodia vigilaces conspici, nec erronei. Nec multum refert, an villatici, corporibus graves et parum veloces sint; plus enim cominus quam eminus iacere debent. Pecuarius canis neque tam strigosus aut pernix debet esse, quam qui damas cervosque et velocissima sectatur animalia, nec tam obesus aut gravis, quam villae horreique custos: sed et robustus nihilominus, et aliquatenus promptus ac strenuus, quoniam et ad rixam et ad pugnam nec minus ad cursus comparatur, cuum et lupi repellere insidias, et raptorem ferum consequi fugientem, praedamque excutere atque auferre debeat.

7. Ceterum multae canis virtutes sunt. Ejus fidei si villa aut domus creditur, quis hominum clarius aut tanta vociferatione bestiam vel furem praedicat, quam iste latratu? quis famulus amantior domini? quis fidelior comes, quis custos incorruptior? quis excubitor inveniri potest vigilantior? quis denique ultor aut vindex constantior? Quare imprimis hoc animal parare sibi tuerique debet agricola, quod et villam et fructus, familiamque et pecora custodit. Ejus autem parandi triplex ratio est. Namque unum genus adversus hominum insidias eligitur, et id villam, quaeque juncta sunt villae, custodit. At alterum propellendis injuriis hominum ac ferarum inservit; et id observat domi stabulum, foris pecora pascentia. Tertium venandi gratia comparatur. In venatu enim praecipua ejus cernitur solertia et sagacitas.

8. Nominibus non longissimis nominandi sunt canes, quo celerius quisque vocatus exaudiat, nec tamen brevioribus, quam quae duabus syllabis enuncientur, sicut latinum est *ferox*, et *celer*.

10. *Волкъ.*

1. Lupus cani forma simillimus est, nisi quod cane villatico latius habet caput, brevius os, minores oculos, aures breviores et erectas. *Attamen* acerrima est inter lupum et canem inimicitia. Bestia haec est rapacissima, crudelissima, insatiabilis, sed amans sobolis suae. Saeviores sunt, qui in frigida nascuntur plaga, quam qui in Africa aut in Aegypto deprehenduntur. Magnum lupo robur est, ita ut ovem faucibus comprehensam auferat, tanta interim celeritate currens, ut eum pastores consequi non possint. Visu, auditu, imprimis autem odoratu multum valet. Naribus enim adversus ventum porrectis e longinquo vivorum corporum odorem aut cadaverum foetorem sentit.

2. Turmatim saepe sanguinolentus luporum exercitus per silvas graditur. Tum stimulante fame in miseras pecudes, custode fugato, impetum faciunt, balantumque ovium sanguine rabiem exsaturant. Raro unus clausa septa adoritur, sed bini plerumque. Unus accedit et irruptionem minatur; sed dum gregis custos canis imminet, terga vertit: tum alter, qui in insidiis latebat, custode remoto omnia tuta videns, irruit in gregem atque misere saevit. Si vero spes ejus fallitur, pastore fortiter resistente, ad fugitivum socium properat, cum eoque canem insectantem et a domino desertum devorat.

3. Quum lupo *pecorum non est copia*, cadaveribus pascitur. Humana carne praecipue delectari fertur. Equos a fronte, tauros, quorum cornua metuunt, a tergo adoriuntur. Ex quo intelligitur, bestiis quoque sua esse strategemata. Ignem refugiunt. Praeter pelles lupinas nullus est hominibus ex hac bestia fructus: nisi quod dentibus lupinis aurifices et alii opifices utuntur ad levigandum. Carnem lupinam cetera etiam animalia aversantur. E quibusdam terrae regionibus hoc genus prorsus exstirpatum est, quod praecipue in Britannia factum.

11. *Лисица.*

Vulpes quoque, omnium bestiarum callidissima, admodum similis est cani, quem etiam latratu imitatur. Pellis tamen mollioribus longioribusque pilis est munita iisque flaventibus. Gracilior est lupo, caudamque multo villosiorem et longiorem habet. Quod lupus vi et impetu, vulpes plerumque astu et calliditate assequitur. Cavernas

aut ipsa sibi parat, aut melium *) occupat, vel vi expulsis his vel merdae suae odore fugatis. Pascitur vulpes carne gallinarum, columbarum, perdicum, lepusculorum, item ovis, melle, caseo, pomis; nec fastidit mures, serpentes, lacertos, cancros Uvas etiam vehementer amat, easque saltu petit. Ad lustrum plures aditus struit; ut et canes fallat, et facilem exitum inveniat Reperiuntur etiam, praecipue in terris septentrionalibus, vulpes albae; rarissimae sunt nigrae, quarum pelles maximo pretio venduntur.

*) sc. cavernas.

12. Медвѣдь.

Ursus acutissime cernit, audit et olfacit: informis est statura, cruribus carnosis, colore pilorum aut nigro, aut fusco aut albo.. Pedibus anterioribus ferit et pugnat; posterioribus insistere atque ita erectus ambulare potest. Itaque ursi mansuefacti etiam saltare discunt. Scandunt arbores, ut melle apium fruantur, cujus avidissimi sunt. Vescuntur carnibus ferarum, equorum, ovium; quaedam genera praecipue glande, melle et lacte pascuntur. Caput habent invalidum. Quare si urgente necessitate ex arbore aut rupe praecipitare se volunt, caput anterioribus pedibus operiunt. Hominem non facilè adoriuntur nisi lacessiti Habitant in silvis frigidarum regionum. Amant solitudinem, societatemque fugiunt. Ursus albus, qui et maritimus vocatur, quoniam in litore maris glacialis habitat, major atque gracilior est urso terrestri, qui raro albus invenitur. Album illud ursorum genus, quod non nisi in iis terrae partibus invenitur, quae maxime septentrionem spectant, et natare et urinari callet, pascitur piscibus, phocis, balaenis, et homines quoque adoritur.

13. Кротъ.

Talpa non caret visu, ut vulgo putatur, oculos tamen habet minutissimos et admodum hebetes, tactum vero et auditum longe acerrimum. Plerumque defossa degit sub terra, maximeque hortos et prata infestat, quae cuniculis perforare solet. Attamen utilis etiam aliquatenus est, quod hortorum terram emollit, et insectis atque lumbricis pascitur. Externis auriculis prorsus caret. Pellem habet tenerrimam atque mollissimam. Praeter pluviam et hominem nullum fere inimicum habet.

14. *Летучая мышь.*

Ex eo genere quadrupedum, quorum pedes membranis involuti sunt, ut volatui sint idonei, est vespertilio Nec tamen avibus annumerari debet hoc animal, ad murium naturam propius accedens. Nam et vivos parit pullos et dentes pilosque habet, anterioribus autem pedibus non ire solum et consistere, sed etiam expansis *) eorum membranis volare potest. Lucem fugiunt vespertiliones et noctu tantum evolant. Pascuntur muscis, culicibus, scarabaeis variisque insectis: delectantur etiam lardo, sebo candelarum et carnibus, quamobrem saepe in rusticorum fumaria desuper devolant.

*) expandere.

15. *Кошка.*

Feles domesticae satis notae sunt. Blandum quidem est hoc animal, sed simul perfidum et insidiosum, nec illis, quamvis mansuetis fidendum est. Munditiae studiosa est felis. Mures captat et astu et vi. Praeter domesticas feles sunt etiam ferae, cavarum quercuum et silvarum incolae. Hae venantur lepusculos, aves, mures, derepente ex insidiis magno cum impetu in praedam insilientes. Non multum tamen differt felis domestica a fera, immo ipsa quoque libertatem forte nacta facile in feritatem degenerat. Oculi felium in tenebris fulgent radiantque, et acriter noctu cernunt.

16. *Тигръ.*

Tigris bellua est saevissima indomitaque et perniciosissima. Specie simillima est feli, statura asinum fere aequat. In calidissimis Asiae regionibus nascitur; nec adeo frequens est. Omnium animalium sanguinem sitit, omnibusque insidiatur callidissime. Unguibus robustis et rapacibus armata est. Pellem habet maculosam vel potius virgatam, quae magni aestimatur. Saliendi et scandendi magna ei sollertia est, ut etiam in arbores enitatur. Maribus non est cura sobolis, feminis vero maxima. Quare saevissimae sunt, fetu erepto. Adoritur tigris sine discrimine homines, leones aliasque bestias; elephanto succumbit. Multum abest a generositate leonis; rarissime mansuescit.

17. *Леопардъ.*

Leopardus in Africa praecipue nascitur. Flavens ejus plurimisque maculis minoribus distincta pellis pulcherrima

est. Tigri nec robore nec rapacitate cedit, rarius tamen quam illa homines adoritur.

18. Барсъ.

Pardus quoque vel *Panthera* Africam incolit. Major est leopardo, sed huic indole vitaeque ratione similis. Pellis ejus majoribus passimque confluentibus maculis picta minusque pulchra est, quam leopardi. Statura vitulum aequat. Ut tigris in Asia, sic in Africa pardus totas vastare solet regiones. Eadem illi saevitia, idem robur. Multo tamen rarius quam tigris homines invadit, nec nisi fame coactus. Minus itaque eum timent Aethiopes quam leopardum.

19. Рысь.

Lynx omnium quadrupedum acerrime cernit. Habitat in locis desertis et montanis. Feli admodum similis est, differt tamen ab ea non solum statura, sed etiam cauda breviata. Pellis ejus est rubicunda et pulchris maculis distincta. In conspectam ex insidiis bestiam, etiam ipsa majorem, summa celeritate irruit, unguibusque tenacissime prehendit nec dimittit, donec illa exspiraverit. Sanguine praecipue et cerebro animalium delectatur.

Omnes hae ferae, tigris, leopardus, panthera, lynx, leo quoque, felium generi annumerantur; sed in Europa, praeter lyncem, quae ipsa quoque rarius invenitur, non nascuntur.

20. Левъ.

1. Leo fortissima omnium bestiarum est. Speciem habet decoram, vultum trucem, saevum et generosum. Incessus est superbus, vox horribilis, impetus violentus ac furens, color fulvus, caput magnum ac jubatum, pilis longioribus circum tempora, scapulas, armos et pectus dependentibus. Leaena tamen jubam non habet. Pars posterior corporis pilis brevissimis tegitur, ut cum anteriore parte comparata fere nuda esse videatur. Cauda leonis est longa et robusta.

2. In leone cauda est animi index, sicut in equo aures; immota ergo cauda placidus est, clemens, blandientique similis, quod rarum tamen: crebrior enim in eo iracundia est. Ejus in principio terram verberat, increscente ira terga flagellat. Vis summa in pectore; firmitas in capite praecipua.

3. Leonum generositas in periculis maxime cernitur. Tela spernens diu se solo terrore tuetur. Quamlibet magna canum et venatorum vi urgente, in campis locisque iis, ubi spectari potest, contemptim restitansque recedit, idem, ubi virgulta silvasque penetravit, acerrimo cursu fertur, velut *) turpitudinem locus absconderet. Dum sequitur feram, insilit saltu, quo in fuga non utitur. Vulneratus percussorem nosse et in quantalibet multitudine appetere dicitur, eum vero, qui telum quidem miserit, sed non vulneraverit, correptum rotatumque sternere, nec tamen vulnerare. Quum leaena feta pro catulis dimicat, oculorum aciem fertur in terram defigere, ne venabula expavescat. Ceterum non sunt dolosi neque suspicaces, nec limis intuentur oculis, adspicique simili modo nolunt. Satiatus, nec lacessitus, plane innoxius est leo, nec nisi fame coactus hominem invadit. Ignem fugit, non, ut olim creditum est, gallorum gallinaceorum cantum.

*) какъ бы для того.

4. Leo famelicus, quaecunque occurrunt animalia, adoritur. Sed quum eum omnia reformident et fugiant, saepe ex insidiis et latebris impetum facere cogitur. Plerumque in loco arbustis consito pronus cubat, indeque in praetereuntes feras adeo violenter prosilit, ut uno eas saltu plerumque comprehendat. In silvis et desertis dorcades potissimum et simias venatur. Robustis dentibus facile ossa confringit, eaque una cum carnibus deglutit.

5. Multi et olim et nostra aetate leones mansuefacti sunt. M. Antonius jugo eos subdidit, primusque Romae ad currum junxit. Nec tamen unquam leoni, etsi mitissimus videatur, plane fidendum est. Simulatque enim sanguinem degustarit, illico in rabiem vertitur: habet autem aculeatam limaeque similem linguam, qua ubi quem lambit, primum cutis abscedit, deinde sanguis sequitur.

6. Leones in Asia et Africa reperiuntur. Fortiores tamen Africani Asiaticis sunt et frequentiores.

21. Ежъ.

Herinaceus animal est aculeis horridum. Vescitur praecipue muribus; sed praeparat etiam hiemi victum, volutatusque supra jacentia poma, affixa spinis portat in cavas arbores. Ubi sensit venantem, contracto ore pedibusque ac parte omni inferiore, qua raram et innocuam habet lanu-

ginem, in formam pilae convolvitur, ne quid comprehendi possit praeter aculeos.

22. Лошадь.

1. Omnium animalium, quae homines mansuefecerunt, sine dubio equus generosissimus et utilissimus est, quum et ad rem militarem idonei sint equi, et ad vecturam et cursuram et ad agrum colendum adhibeantur.

2. Ferum olim genus omne fuit equorum, et feri adhuc inveniuntur in quibusdam orbis terrarum partibus. Hi gregatim campis inerrant, et quia frugibus, non carnibus vescuntur, cum nullo bestiarum genere bellum gerunt nisi lacessiti. Lacessiti autem hostes aut spernunt, aut fugant, aut occidunt. Irruente fera in gyrum coëunt, capitibus introrsum directis, calcibus autem hosti oppositis, atque ita oculis per intervalla pedum contuentes advenientem feram tam vehementer calcibus impetunt, ut facile periculum propulsent.

3. Postquam vero hominum juga ac frena receperunt equi, ad varia ministeria condocefacti tam multiplicem dominis usum praebent, ut, si subito ex rerum natura tollerentur, ingens rei familiaris detrimentum fortunarumque et commoditatum summam imminutionem passuri essent mortales.

4. Equi Arabici, Africani, Hispanici, Neapolitani et Britannici, qui imprimis velocitate excellunt, ad equitandum maxime idonei sunt. Frisia et Dania praestantissimos equos rhedarios producunt. Gentes nonnullae et carne et lacte equorum vescuntur. Pilis et corio multi utuntur artifices.

23. Оселъ.

Asinus nec forma nec vigore cum equo comparandus est; nec tamen contemptum, quo vulgo affici solet, meretur; est enim utilissimus. Tutius hic et lenius incedit, quam equus, et gravissima onera portat. Asini vivunt vili pabulo, ut foliis, carduis, stramine. Tolerantissimi sunt plagarum et penuriae, laborisque et famis patientissimi. Frigus tamen ferre nequeunt, quocirca ex frigidissimis terrae partibus exulant. Raro in morbum incidunt. Vivunt annos triginta et amplius. Est etiam genus silvestrium asinorum, quos onagros vocant, quorum pulcherrimi in Aethiopia re-

periuntur. Tantae hi sunt celeritatis, ut nemo eos cursu assequi possit; quare rarissime cicurantur. Olim Aegyptus, nunc Italia praestantissimos alit asinos. Lac asininum in morbis nonnullis eximiam suggerit medicinam; ex pelle charta pergamena conficitur.

24. *Мулъ.*

Ex asino et equa nascitur mulus, matri quam patri similior. Utilissimus est ferendis et trahendis oneribus. Asinos celeritate superat; et ipse quoque lenius et tutius equo, maxime per praerupta montium, incedit.

25. *Верблюдъ.*

1. Camelus altitudine corporis proceritateque colli et tubere in dorso insignis, utilissimum orientis gentibus animal est. Iumentorum ministeriis funguntur cameli, et gravissima onera portant. Duo eorum genera sunt, alterum uno, alterum duobus in dorso tuberibus instructum, quod genus rarius est atque velocius. Habent praeterea et in pectore et in pedibus tubera minora, quibus incumbant. Defatigatus enim camelus vires recipit in pectus se inclinans. Celeriter progreditur, brevique tempore longum iter absolvit. Huic mansuetudo quaedam a natura ipsa insita videtur, quamquam et interdum rabiem sumit, quo tempore in ipsum saevit rectorem. Musica et cantu tibiisque delectari camelum dicunt. Quare Arabes (hi enim imprimis eo utuntur) aures ejus, dum peregre proficiscuntur, cantu demulcent.

2. Summa camelorum utilitas est in longis itineribus per Asiae Africaeque arenosa deserta, non solum, quod famem diu tolerant, et, sicut asini, vili pascuntur pabulo, foliis, carduis atque virgultis spinosis, quorum ubivis magna copia est, sed sitim etiam quatriduo, immo ad novem usque dies tolerant, et, quum bibendi copia sit, in longum tempus implentur, ingentem aquae copiam deglutientes, cujus partem in quibusdam ventriculi cellis servant; quare interdum iter facientes Arabes urgente necessitate camelum mactant, ut aqua illa sitim restinguant. Ex terris borealibus exulant cameli. Odium adversus equos naturale gerere dicuntur. Verno tempore depiles fere fiunt; qui exciderunt pili, texturae varii generis inserviunt. Qui tamen vulgo dicuntur pili camelini, non a camelo proficiscuntur, sed a capra Ancyrana.

26. Слонъ.

1. Maximum e terrestribus animal est elephas proximumque humanis sensibus. Est enim illis quidam intellectus sermonis humani et imperiorum obedientia, officiorumque, quae didicere, memoria, amoris et gloriae voluptas; immo vero, quae etiam in homine rara, probitas, prudentia, aequitas. Quod ad docilitatem attinet, regem adorant, genua submittunt, coronas porrigunt. Minores Indis etiam olim arabant. Romae currum Pompeji magni triumphantis juncti *) traxere. Quin etiam docebantur Romae elephanti per funes incedere, lecticis etiam ferebant quaterni singulos: eorumque unus tardioris ingenii in accipiendis, quae tradebantur, saepius castigatus verberibus, eadem illa meditans noctu repertus est.

*) запр-ж нные.

2. Elephanti gregatim semper ingrediuntur. Amnem transituri minimos praemittere dicuntur, ne majorum ingressu crescat gurgitis altitudo.

3. Adultus elephas ad quindecim pedes altus est. Vastum ejus corpus rudis et incondita moles esse videtur, et mirum sane est, in tanta mole tantam inesse docilitatem agilitatemque. Crasso in capite oculos habet minutos suillis similes, aures magnas, in utraque oris parte quatuor dentes quibus cibos mandit; duo autem alii ingentis magnitudinis et ponderis ante os longe prominent cornibus similes. Hos interdum dejecit, idque ebur est, unde magnum his dentibus est pretium.

4. Hos inter dentes proboscis exstat longissima maximeque flexilis. Nihil magis mirandum in elephanto quam haec proboscis, qua spirat, olfacit, aquam haurit, pabulum arripit orique inserit, qua denique pugnat, et, ut manu, ad multa utitur ministeria. Nodos hujus adminiculo solvit, numos e terra tollit, flosculos decerpit. Proboscide sauciata aut detruncata, ipsum perire nescese est. Pedes, truncis ingentibus similes, articulis tamen non carent.

5. Rugosum et durissimum dorso tergus, adeo ut nec gladio, nec telo facile vulnerari possit, ventri molle; setarum aut villorum nullum habet tegumentum. Nihilominus muscarum aliorumque insectorum punctiones sentit. Color plerumque canus; rutili elephantes rari, at albis

nihil rarius. Cerebrum pro corporis mole exiguum. Memoria prae ceteris bestiis pollent. Multo eis opus est cibo; singuli consumunt, quantum triginta satis est hominibus. Insigne vero providentiae divinae documentum est, quod tantae molis animal carnibus non vescitur, nec vivit ex praeda, sed contentum est herbis, quarum infinita est copia. Vescitur praeterea arborum foliis, frondibus, oryza, gramine.

6. Gaudent amnibus maxime et circa fluvios vagantur, nare autem propter molem corporis non solent. Iidem frigoris impatientes sunt, quo fit, ut in Europam adducti brevi moriantur, quum in partia ducentos annos et diutius vivere dicantur. Nascuntur autem in media Africa et in Asia australi Majores tamen et fortiores Asiatici sunt. Indicum Afri timent, nec contueri audent. Variis modis, maxime tamen foveis virgulto obtectis capiuntur. Domantur fame et verberibus; capti paullatim adeo mansuescunt, ut cibum e manu rectoris capiant, venientem etiam proboscide complectantur. Insidias minoribus animalibus non struunt, sed secura juxta sedem suam versari patiuntur, neminique omnino, nisi lacessiti, nocent. Murem metuunt, ne in proboscidem irrepat.

7. Olim elephantis ad bellum utebantur; turres cum militibus tergo imponebant, aut latera falcibus armabant, et in hostium exercitum compellebant. Tum illi prosternebant acies; armatos proterebant, at vulnerati et territi saepe haud minorem suis partibus perniciem afferentes retrocedebant. Invento pulvere nitrato *) bellicus eorum usus exolevit. Ignem enim refugiunt. Magna tamen eorum utilitas est in gestandis gravissimis ponderibus. Incedunt enim celeriter atque tutissime. Homini obvio aut cedunt, aut rostro eum leniter removent. Nec habena, nec freno reguntur, sed unco ferreo, quo rector eos, cervici insidens, pungit, et, quocumque ire voluerit, impellit. Magnam praeterea ebore suppeditando utilitatem afferunt, quo multi artifices aegre carerent: quamquam belluarum etiam quarundam marinarum aliorumque animalium dentes eodem modo tractantur. — Caro etiam elephanti non mali saporis est.

*) порохъ.

27. Кабанъ.

Aper a porco non multum differt. Terram ut ille rostro effodit, in paludibus membra refrigerat, ac dorsum arboribus affricat. Lustrum habet in densis fruticetis, idque, quoties ibi alimenta deficiunt, mutare solet. Hinc per campos et prata noctu vagatur et frugibus maxime nocet. Difficulter ex lustro pellitur. Expulsus autem maximo impetu virgulta densissima perrumpit, venatores aggreditur, dentibusque acutis et falcatis vulnera letalia infligit.

28. Рогатый скотъ.

Pauca sunt animalia, quae aeque magnum ac boves homini usum praestent. Et currui et aratro junguntur; oneribus tamen gestandis non sunt idonei. Quum eorum opera satis usi sumus, saginantur, et altiles mactantur. Laudantur imprimis Hungariae Podoliaeque boves altiles. Hungari et Poloni quotannis multa bovum millia ad externos mittunt. Nulla hujus animalis pars est, ex qua non aliquam utilitatem homo capiat. Vescimur ejus carne et lacte; ex lacte conficimus butyrum et caseum; ex pelle coria atque membranas; ex sevo candelas et saponem; ex cornibus pectines, pyxides, laternas multaque alia; pilis muniuntur ephippia et sedilia. Bovini generis est etiam *urus*, unde originem domestici boves traxisse creduntur; item *bubalus*, qui et ipse cicuratur. Multa hominum millia solis bovum armentis vitam sustentant; ut merito felices aestimandae sint terrae hoc genere abundantes.

29. Олень.

Cervum omnia commendant, excelsum caput ramosis ornatum cornibus, crurum tenuitas, ipsaque cum mira corporis agilitate conjuncta timiditas. Matris magna in fovendo fetu cura est. Ut primum adolescunt, lateri matris affixi, eandem et nutricem et magistram habent, tutissima fugae loca edocentem, herbarumque, quibus pascantur, natale solum perite monstrantem. Longa cervorum vita, qui vel centum annos vivere olim putabantur, fabula est. Raro enim ultra triginta annos vivunt. Facile mansuescunt, si teneri ex saltibus auferuntur. Una tunc cum grege ad pastum exeunt, una revertuntur. Equorum etiam ministeria obeunt In cursus certamine pernicitate vincunt equorum acerrimos. Cornua quotantis mutant, itemque pilos; quod

idem omnes silvestres ferae sub finem hiemis faciunt. Cervae carent ramosis cornibus; his soli mares instructi sunt. Idem de capreolo dicendum, qui cervo minor est et cornibus inferior, quae non, ut *ille*, Februario mense, sed autumno dejicit. Cervorum generi annumerantur dama, tarandus, alces. Tergus eorum, cornua, caro, adeps, ungulae varium in communi vita usum habent.

30. Сѣверный олень.

Tarandus, cervo minor, septentrionalibus terrae partibus, imprimis Lapponiae, proprius est. Gramine vescitur, musco, foliisque arborum; brumali autem tempore sub nivibus victum eruere solet. Lapponum opes ex tarandorum, quot quisque habet, copia aestimantur. Multiplicem illis usum hoc animal praestat. Quum enim facile mansuescant tarandi, crebrioribus Lapponum, qui sedem stabilem non habent, migrationibus apprime inserviunt. Aestate tarandis onera imponuntur: iidem, ubi bruma recurrit, trahis junguntur. Hac ratione longissimum iter brevi tempore tuto celeriterque absolvi potest. Eorum carne, cruore, lacte, ex quo et caseos conficiunt, vescuntur Lappones. E pellibus vestimenta, tentoria, lecti et id genus alia parantur. Nec non ex ossibus varia conficiuntur utensilia.

31. Единорогъ.

Rhinoceros eandem, quam elephas, patriam habet, eique corpore, victu, vitaeque ratione admodum similis est, ingenio longissime cedit. Est enim prorsus indocilis. Longitudine et crassitie aequat elephantem, proceritate superatur. Cornu naso affixum saepe tres pedes longum est. Homines non nisi lacessitus adoritur. Irritatus cornu vulnerat hostem. Eodem cum elephanto pugnans utitur, ejusque ventrem dilaniat. Raro tamen hunc vincit. Corium ejus est depile, cinereum, rugisque ita contractum, ut paene squamis ac thoracibus obductum esse videatur.

32. Крокодилъ и Бегемотъ.

1. Crocodilum Nilus, Aegypti fluvius, habet, quadrupedem malum, et terra pariter ac flumine infestum. Unum hoc animal terrestre linguae usu caret; nam etsi in faucibus carnem quandam habet linguae similem, eam tamen exserere non potest. Superiore maxilla, quae mobilis est, mordet. Magnitudine excedit plerumque duodeviginti cubita.

Parit ova, quanta anseres: nec aliud animal ex minore origine in majorem crescit magnitudinem. Unguibus armatus est, cuteque ad omnes ictus invicta. Dies in terra agit, noctes in aqua. Crocodilum somno oppressum conspicatus ichneumon, per fauces ut telum aliquod immissus, alvum erodit. Idem ova crocodilorum investigat et exsorbet. Homines quoque ova haec, sub arena plerumque defossa, sedulo quaerunt et frangunt. In ventre mollis est crocodilo tenuisque cutis. Terribilis haec bellua est fugacibus, insequentibus fugax, sed pauci adversum ire audent. Hebetes oculos habere dicitur in aqua, extra aquam acerrimi visus, quatuorque menses hiemis inedia in specu transmittere. Quidam hoc unum animal, quamdiu vivat, crescere arbitrantur: vivit autem longo tempore.

2. Formam habet lacertae similem, pedes quattuor, caudam nudumque corpus. Oculi ejus parvi sunt. Quidquid propius accessit, unguibus ejus anterioribus arreptum dilaniatur; quae longius absunt, caudae vi prosternuntur. Crocodili non solum in Nilo Aegypti, sed omnino in majoribus Asiae Africaeque et Americae fluminibus inveniuntur.

3. Major altitudine bellua, Hippopotamus; in eodem Nilo nascitur, ungulis difidis, quales bubus sunt, dorso equi, et juba, hinnitu; rostro resimo, cauda et dentibus aprorum aduncis, sed minus noxiis. Depascitur segetes. Corii tanta crassitudo est, ut inde hastae tornentur.

33. *Бобръ*.

Fiber vel Castor pellem habet pretiosissimam. Ex pilis conficiuntur panni et pilei. Quattuor magnis dentibus incisoribus iisque acutissimis animal hoc praeditum est. Cauda squamis obducta est. Uterque sexus sub cauda habet folliculos quosdam, liquorem pinguem exsudantes, qui castoreum vocatur et medicinae inservit. Inter bestias castor architectus est ingeniosissimus. Domicilia enim tam incredibili arte sibi construunt, ut hominum potius sedes quam brutorum animalium esse videantur. In flumine plerumque aedificant. Ibi aggerem ex lignis et argilla duodecim pedes latum pro fundamento ponunt, cui primum aedium contignationem, fluvio non altiorem, superstruunt. Tum alteram tertiamque imponunt, in quibus octo vel decem fibri una habitant. Ex media contignatione in inferiorem per foramen,

quoties lavatum eunt, descendunt; in superiorem vero ascendunt tum, quum aqua praeter modum crescit. Totum hoc aedificium, admirabili arte compositum, duodecim plerumque pedes latum, decem vero altum reperitur. Instrumenta, quibus in hoc opere utuntur, partim dentes sunt, quibus arbores dissecant, partim pedes, quibus argillam eruunt depsuntque, partim cauda, qua non solum advehunt argillam, sed etiam tanquam trulla palis utrinque injiciunt et illinunt. Autumnum et hiemem in his aedificiis consumunt, vivuntque foliis atque corticibus arborum inter aedificandum collectis 1) et in inferiorem contignationem congestis 2). Instante vere domiciliis excedunt et in silvis degunt. Plurimi fibri in America septentrionali inveniuntur.

1) colligere. 2) congerere.

34. *Птицы.*

1. Aves a quadrupedibus pedum numero, alis, rostro, plumis, voce et generatione differunt.

2. Omnes aves bipedes sunt; pedum tamen multiplex est varietas prout aut duos, aut tres, aut quattuor digitos habent, qui aut disjuncti sunt aut cute quadam conjuncti.

3. Binae omnibus avibus alae sunt, quarum remigio omnes, praeter unum struthiocamelum, volant. Plumae caloris et vestitus causae iis datae sunt. Feruntur autem aves vario meatu, et in terra et in aëre. Ambulant nonnullae, ut cornices; saliunt aliae, ut passeres, merulae; currunt, ut perdices, rusticulae.

4. Rostra, quibus cibum capiunt aves, breviora habent aliae et adunca; aliae longiora et leviter obunca; aliae longiora et serrata; aliae acuta et longiora; aliae in coni figuram exeuntia; aliae brevia et recta. Granis aliae vescuntur, aliae carnibus. Graviores omnes frugibus, altivolae carne vescuntur.

5. Ut pilis quadrupedia, ita aves plumis adversus frigus et pluviam muniuntur. In plumarum coloribus insignis est varietas. Sunt niveae, ut oloribus; sunt atrae, ut corvis: sunt versicolores et auro fulgentes, ut pavonibus et columbis; aliae caeruleas, aliae rubras, aliae flavas, aliae virides, aliae mixtas variis coloribus pennas habent.

6. Quum vox animalium quadrupedum incondita sit, aves contra multae cantu aures mulcent, omniumque voces,

etiamsi cantum non edunt, facile a ceterorum animalium vocibus distinguuntur.

7. Avium nullae vivos pullos, sed omnes ova pariunt; e quibus pulli calore matris incubantis excluduntur. Ovorum alia sunt candida, ut in gallinis, columbis, perdicibus; alia-pallida, ut in aquaticis; alia punctis distincta, ut in meleagride; alia rubri coloris, ut in phasianis. Intus autem omne avium ovum bicolor est.

8. Omnes aves construunt nidos, eosque mollissime substernunt, ut quam facillime ova serventur, et pulli exclusi molliter recubent. Nidos varie e juncis aut ramusculis, aut gramine, aut foeno, aut musco construunt; quaedam, ut hirundines, ex arena et luto. Intrinsecus aut lana aut pluma insternunt. Materiam ubique quaerunt. Saepe visa est hirundo in ovem involans, ut floccum lanae rostro deriperet. Interdum quum copia non est mollis materiae, ipsae sibi plumas e pectore eripiunt. Ceterum singula genera proprio modo nidificant, estque in constructione nidorum admirabilis varietas: majus tamen est in minorum avium quam in majorum nidis artificium.

35. *Строфокамилъ.*

1. Struthiocamelus maxima est avium. Volare non potest partim ob molem corporis, partim quod pennas non ad volandum commodas, sed pilis similes habet. Ad hoc tantum datae sunt pennae, ut currentes adjuvent; neque quidquam cursu eorum velocius est. Ungulae, quibus dimicant, cervinis sunt similes, bisulcae, et comprehendendis aptae lapidibus, quos in fuga contra sequentes pedibus ingerunt. Longus est septem pedes struthiocamelus. Moles corporis ad septuaginta quinque pondo. Rostrum habet rectum, cujus acumen leviter inflectitur ad unci similitudinem. Collum est perlongum, pedes alti. Altitudinem equitis insidentis equo excedunt, celeritatemque vincunt. Capitis figura, colli longitudine et gibbere dorsi camelis similes sunt.

2. Struthiocamelus omnia sine delectu devorat et concoquit. Nam etsi plerumque dactylis et granis vescitur; tamen lapides quoque, lignum, vitrum, ferrum, plumbum, et quidquid ejus generis oblatum fuerit, deglutit. Patria avis hujus est Africa et Asiae pars ea, quae Africae adjacet.

In Africa multi cicurantur; adeo ut etiam greges eorum incolae habeant.

3. Pennae struthiocamelorum in dorso sunt nigrae, in cauda albae. Hae praecipue diliguntur. His antiquitus jam galeae ornabantur, hodieque pileorum et vestium muliebrium ornamento inserviunt. Hae pennae vivis ereptae longe praestantiores sunt iis, quae mortuis evelluntur: quocirca Afri greges harum avium alere solent. Arabes tamen venantur etiam struthiocamelos. Venandi haec est ratio. Persequendo eos sensim fatigant, et quominus cibum capere possint, impediunt. Ita inedia et cursu fessos repente equis citatis adoriuntur, et consecuti fustibus concidunt, ne sanguis candorem pennarum contaminet. Avem hanc collum frutice occultare dicunt, quod ita se latere existimet.

4. Ova pariunt struthiocameli dura et ampla, unde propter amplitudinem vasa conficiuntur argentoque includuntur, ut poculorum vicem expleant. Multa complurium matrum ab uno tamen mare prognata ova in fovea colliguntur, quibus invicem illae incubant. In calidissimis autem regionibus ova in fervente arena posita etiam sine matris incubatione excludi dicuntur. Pulli vix exclusi et pedibus valent et cibum quaerunt. Ubi autem mitior est caloris temperies, ut in promontorio Bonae Spei, matres pullorum alimenta provident, donec sibi ipsi prospicere possint.

36. *Птицы ночныя.*

1. *Aves nocturnae*, quae rapto vivunt, ut *noctua*, *bubo*, *ulula*, ungues aduncos habent. Harum omnium oculi interdiu hebetes sunt: ad lucem crepusculi, item ubi noctu luna fulget, acerrime cernunt. Tum venatum exire solent. Si quando interdiu exire coguntur, aut alicubi in arbore ab homine collocantur, nec volare nec pedem promovere audent, atque tum ceterae aviculae eas circumvolare, percutere, et omnibus modis vexare solent. Illae caecutientes ac stupidis similes omnes contumelias patiuntur ac perferunt. Ceterum hae aves auditu sunt acerrino, rostro brevi et adunco, utraque mandibula mobili, unguibus tenacibus; volant non recto, sed transverso impetu, et quam minimo cum sono, adeo ut propter aurem praetervolantes vix audiantur. Quaedam ejus generis aures plumeas eminentes habent; aliae iis carent. Vescuntur cadaveribus et vivis bestiolis,

lepusculis, muribus, vespertilionibus, aviculis, lacertis, locustis. Hiemem tristes et solitariae consumunt sine pastu et dormientes. Non solum vitae ratione, sed et figura, capite praecipue, felibus similes sunt.

2. Bubo a ceteris avibus nocturnis discernitur immani capite; auribus patulis; longioribus plumis utrinque super oculos eminentibus; rostro brevi, nigro, adunco; oculis magnis, torvis, et fulgentibus; pupillis latis, nigris et fulvo orbe ceu annulo circumdatis; plumis in dorso fulvis, sub ventre flavis, quae utrinque nigris maculis distinguuntur; denique diro vocis sono. Bubo primo adspectu aquilam corporis magnitudine aequare videtur, re vera tamen minor est. Deserta, nec tantum desolata, sed etiam dira et inaccessa loca incolit, ut rupes, turriumque aut arcium excelsarum ruinas; raro in planitiem descendit. Venatores bubone utuntur ad vulturem alliciendum, solentque, ut monstrosiorem reddant, caudam ei vulpinam affigere. Vultur novitate monstri commotus et quasi mirabundus dum advolat, aut capitur aut occiditur.

37. *Хищныя птицы.*

1. Ut bubo, ulula, noctu tantum evolant ad praedam, sic alia sunt genera avium rapacium, quae interdiu venantur; quo referendi sunt accipitres, aquilae, vultures. His omnibus datum est caput grande, lingua lata, crassa et carnosa, robustaque ac torosa crura, quorum unguibus praedam comprehendunt. Et rostrum et ungues habent aduncos acutosque, et ad discerpendum, quae ceperint, accommodatos. Acerrimo denique visu praeditae sunt, ut e longinquo praedam cernere possint.

2. Accipitrum complura sunt genera, quae distinguuntur ex aviditate. Unum est minus, merulae magnitudine, quod habitat in muris et pinibus, venaturque hirundines, alaudas et perdices. Accipitres alii nonnisi ex terra rapiunt avem; alii circa arbores volitantem; alii sedentem in sublimi; alii in aperto volantem.

3. Falcones ideo potissimum celebrantur, quod iis venatores olim ad venationes utebantur, singulari artificio ad hoc negotium instituti, quae tamen res dudum in desuetudinem abiit. Falcones acerrimo visu praediti sunt. Rostrum, nervi, tendines et ossa firmissima sunt, ut magnum

eis robur insit, etsi pondus minus est, quam pro magnitudine corporis. Non enim carne aut pinguedine abundant. Volatus falconis est celerrimus. Altissime evolat in aërem. Solebant autem venatores longis eum funiculis, quibus pedes constrinxerant, retinere. Praeterea pileo quodam caput et oculos tegebant. Qui simulac demptus erat, celeriter evolabat falco et aves quascunque persequebatur, eas etiam, quas, dum liber vixerat, haud solitus erat appetere. Nidulatur falco in summis rupibus, ex iisque tanquam e specula prospicit lepusculos, cuniculos, perdices, cujus generis animalia venari solet. Ceterum foetorem vehementer aversatur, nec unquam attingit cadavera sicut vultur.

4. Miluus est ex accipitrum genere. Venatur gallinas, anseres, anates.

5. Aquilarum plura genera sunt. Nidificant in petris et arboribus. Venantur plerumque hinnulos et lepores. Testudines raptas frangunt e sublimi demittentes. Quod idem cornices nucibus faciunt. Quum enim duritia rostro repugnet, volantes in altum, in saxa regulasve eam jaciunt semel iterumque, donec quassatam perfringere queant. Id huic fabulae occasionem dedit:

Aquila in sublime sustulit testudinem.
Quae quum abdidisset cornea corpus domo,
Nec ullo pacto laedi posset condita;
Venit per auras cornix et propter volans*):
Opimam sane praedam rapuisti unguibus;
Sed nisi monstraro, quid sit faciendum tibi,
Gravi nequidquam te lassabis pondere.
Promissa parte, suadet, ut scopulum super
Altis ab astris duram illidat corticem,
Qua comminuta facile vescatur cibo.
Inducta verbis aquila monitis paruit.
Simul et magistrae large divisit dapem.
Sic tuta quae naturae fuerat munere,
Impar duabus occidit tristi nece.

*) scil inquit

6. Vultures aquilas magnitudine corporis aut aequant, aut superant. Venantur lepores, gallinas, nonnullos etiam pisces. Plerumque in exanima corpora seu cadavera involant, hisque pascuntur. Vulturum immanis est voracitas,

F

olfactus acerrimus. Alii sunt nigri, rubicundi alii, alii fusci, alii mistum habent ex albo et nigro colorem.

38. *Павлинъ.*

Pavonum genus aves omnes reliquas forma superat. Superbus incessus indicat, ipsum pavonem pulchritudinem suam intelligere. Laudis etiam gloriaeque cupidus esse creditur. Laudatus enim gemmantes expandit colores, adverso maxime sole, quia sic fulgentius radiant. Verum autumni tempore, quo caudam splendentem amisit, pudibundus ac maerens latebram quaerit. Pedibus tamen tam pulchra avis asperioribus praedita est, quos, quoties adspicit, lamentabili voce deflere videtur. Caro ejus dura atque concoctu difficilis habetur. Tamen Romae olim luxuriosi eum occidere solebant cibi gratia.

39. *Пѣтухъ.*

Gloriam galli quoque sentiunt, nocturni vigiles nostri, quos excitandis ad opera mortalibus rumpendoque somno natura videtur genuisse 1). Cum sole eunt cubitum. Sed non patiuntur obrepere sibi solis ortum, diemque venientem nunciant cantu, ipsum vero cantum plausu laterum. Imperitant suo generi, et regnum unus in unaquaque domo exercet. Id inter eos paritur dimicatione, velut ideo tela 2) adnata cruribus suis intelligant. In victoria canunt, seque ipsi victores testantur. Victus occultatur silens, aegreque servitium patitur. Superbus graditur gallus ardua cervice; cristis celsa; et sola volucrum caelum adspicit crebro, in sublime caudam quoque falcatam erigens.

1) giguere. 2) шпоры.

40. *Ласточка.*

Hirundines nidos luto construunt, et stramento roborant. Si quando inopia est luti, madefactae 1) multa aqua pulverem spargunt. Ipsum vero nidum mollibus plumis floccisque consternunt tepefaciendis ovis, simul ne durus sit infantibus pullis. Quaedam hirundines sub hiemem in peregrinas regiones avolant, quod ciconiae quoque, coturnices, grues, anatesque ferae faciunt. Aliae autem remanent quidem in patrio solo, sed sub hiemem reliquis relictis 2) nidis gregatim se ad ripas fluviorum aut piscinarum abscondunt.

Ibi postquam pennas pinguedine quadam ipsis propria inunxerunt 3), constipatae in torporem incidunt, ex quo non nisi proximo vere in vitam redeunt, nidosque derelictos repetunt.

1) madefieri. 2) relinquere. 3) inungere.

41. Журавль.

Grues quum loca calidiora petentes maria transmigrant trianguli formam efficiunt. Vix ullo in genere avium tantum ordinis studium, quantum in his, animadvertitur. Ducem enim eligunt inter volandum, et quidem illum, qui aetate et experientia reliquis antecellit. Agmen etiam claudunt, qui aetate et calliditate praestant; juniores et minus periti in medio agmine sunt. In tergis praevolantium colla et capita reponunt. Quod quia ipse dux facere non potest, revolat ut ipse quoque quiescat. In ejus locum succedit alia ex iis, quae acquierunt; eaque vicissitudo in omni cursu servatur. Altissime assurgunt volatu, ut regiones, quas petunt, ex longinquo possint videre. Noctu nonnullae excubias agere dicuntur lapillum pede sustinentes, quo, si deciderit, excitentur. Ceterae dormiunt capite subter alam condito, alternis pedibus insistentes.

42. Аистъ, гусь, лебедь.

Ciconiae pullos suos vehementer amant, qui egregium rursus grati animi exemplum praebent, maxima cura et pietate parentes senio confectos fovendo. Redeuntes eosdem nidos repetunt. Sed quonam e loco veniant aut quo se referant, incompertum adhuc est. E longinquo venire, non est dubium, eodem quo grues modo. Abiturae in locum certum congregantur, comitataeque sic, ut nulla sui generis relinquatur nisi captiva aut serva, ceu lege praedicta die recedunt. Nemo vidit agmen discedentium, quum discessurum appareat: nec venire sed venisse cernimus. Utrumque nocturnis fit temporibus. Et quamvis ultro citroque pervolent, nunquam tamen advenisse usquam nisi noctu existimantur. Ciconiis exitio serpentium tantus est honos, ut in Thessalia olim capitale fuerit occidisse ciconiam, in eumque eadem legibus poena esset constituta, quae in homicidam. — Simili ratione anseres quoque et olores commeant, sed horum volatus cernitur. Cuneatim volant. Collum quisque praecedenti imponit; fessos duces ad

terga recipiunt. Olorum cantum laudibus veteres extollebant; quod autem narratur de flebilibus modis, quos morientes edant, id falsum esse constat. Reperitur olor seu cygnus ubivis in septentrionalibus terrae partibus. Vescitur ranis plantisque aquaticis. Facile cicuratur. Ferorum anserum versus septentrionem magna est multitudo. Utilissimum est hoc avium genus plumis pennisque, quibus quotannis bis terve sine detrimento spoliari potest.

43. *Соловей.*

Ut pavo forma, ita cantu excellit luscinia. Quanta autem vox tam parvo in corpusculo, quam pertinax spiritus! Vernis mensibus per totam fere noctem dulci suo cantu nos delectat. Primis diebus ac noctibus quindecim assidue canit; ab eo tempore canit quidem, sed non assidue; deinde tacet. Capta tamen et caveae inclusa diutius canit. Plures singulis sunt cantus, nec iidem omnibus, sed sui cuique. Certant inter se canendo. Victa morte finit saepe vitam, spiritu prius deficiente quam cantu. Hieme non cernuntur. Pariunt vere primo, quum plurimum *), sena ova.

*) самое большое число.

44. *Попугай.*

Humanas voces imitantur psittaci. India hanc avem mittit. Salutat, et quae accipit verba, pronunciat. Capiti ejus duritia eadem quae rostro. Minor nobilitas, quia non ex longinquo venit, sed expressior loquacitas certo generi picarum est. Adamant verba, quae loquantur. Constat emori victas difficultate verbi, ac, nisi subinde eadem audiant, memoria falli *), quaerentesque mirum in modum hilarari, si interim audierint id verbum. Latior iis est lingua, sicut omnibus avibus, quae sermonem imitantur humanum, inter quas excellit etiam sturnus. Sturni catervatim volant. Adventant praecipue uvis maturescentibus, quas depopulantur. Ex Europa migrant in Aegyptum.

*) забываютъ.

45. *Китъ.*

Balaenae, belluarum maris grandissimae, amplissima sexaginta aut septuaginta pedum longitudo est, cujus tertiam partem caput implet. Olim, quum minus quam hodie illis insidiarentur homines, multo majores et longiores inveniebantur. Capiuntur praecipue circa Groenlandiam, et nuper

rime etiam circa polum terrae australem. In summo capite spiracula sunt; unde aquam, quum ludunt, aut sanguinem, quum vulnerantur, summa vi summoque strepitu efflant. Rictus duodena cubita latitudine excedit, gula autem non est admodum ampla. Palatum et fauces contabulata quasi sunt testo, cujus quingenti conti quindecim pluriumque pedum longitudine numerantur. Feminae non ova pariunt, ut qui proprie vocantur pisces 1), sed animalia viva, quae mammis nutriunt. Caro hujus bestiae dura est et macra; adeps vero magnae crassitudinis inter cutem et carnem itemque sub labiis deprehenditur, ex quo oleum quoddam pinguius praeparant 2). Vis summa balaenae in cauda est, quattuor interdum ulnas lata, qua magnas naves frangit et evertit. Captura tantae belluae admodum molesta est et periculosa. Jaculis hamatis 3), longissimo funi annexis, e navibus petitur. Jaculis aliquot in corpore fixis, plurimum sanguinis ex vulneribus emittit, irataque ex capite efflat, ut exsanguis tandem occidat. Tum vero nil nisi testum et adipem sibi sumunt piscatores, quibus rebus multum lucrantur imprimis Batavi. Reliqua ursis avibusque permittuntur. Hostes balaenae infestissimos pristes habent. Capiuntur maxime mensibus Junio atque Julio. Tum magna multitudo congregatur, ut facile vel duo millia capi possint.

1) какъ собственно называемыя рыбы. 2) ворвань. 3) остроги съ зубцами на длинной веревкѣ.

46. Дельфинъ.

Velocissimum omnium animalium, non solum marinorum, est delphinus, ocior volucre et telo. Ejus celeritatem nullus effugere piscis posset, nisi natura ita comparatum esset, ut nonnisi resupinus praedam capere possit. Quo fit, ut pisces spatium habeant evadendi. Rostrum simile porcino habet. Delectari dicitur musica hominemque amare. Obviam navigiis veniunt delphini, ludunt exsultantes, tantaque vi exsiliunt, ut plerumque vela navium transvolent. Pariunt catulos, interdum binos: nutriunt uberibus sicut balaenae, atque etiam gestant fetus infantia infirmos. Quin et adultos diu comitantur, magna erga partum caritate. Adolescunt celeriter, decemque annis putantur ad summam magnitudinem pervenire.

47. Сельдь.

Halec, piscis notissimus, colorem mutat; hieme enim candidior est, aestate nigrior. Nullus pascium hoc est fe-

cundior. Praeterea caro ejus suavissima est, quare plerique pisces, imprimis autem ceti, illis insidiantur. Quotannis incredibilis halecum vis ex mari glaciali ad Hollandiae usque Angliaeque oras penetrat. Hoc piscium genere innumerabilis hominum multitudo vitam sustentat.

48. Черепаха.

Testudo, quadrupes ovipara, tota durissima testa quasi clypeo tegitur ita, ut caput pedesque et caudam exserere possit. Valde stupida haec est bestia. In mari conchyliis, in terram egressae herbis vivunt. Pariunt ova avium ovis similia ad centena numero, quae defossa extra aquas et humo cooperta solis calore animantur. Carnis ovorúmque sapor suavissimus habetur. Color testarum varius est pulcherrimusque. Ex his multa et elegans supellex conficitur.

49. Пчелы.

Apes aut in vetustae arboris cavo aut in alvearibus habitant. In eodem alveo multa millia commorantur. Ex his una, magnitudine reliquis praestans, reginae nomine insignitur. Haec, sola in alveo femella, nihil agit nisi ut ovula ponat, ex quibus novum apum examen calore solis excluditur. Quae magnitudine proxime accedunt ad reginam, masculae sunt apes sive fuci; qui aculeo ipsi carentes, simulac regina satis ovorum peperit, ab operantibus apibus aculeis interfecti ex alveari ejiciuntur, quod plerumque sub finem aestatis fieri solet. Laborantium apum multo major, quam reliquarum, in uno alveo est numerus, qui ad plura millia excrescit. Evagantur ex alveari in prata et campos, mel e floribus sugentes, colligentesque tenuem inde pulverem qui iisdem inhaeret. Ex hoc pulvere ceram conficiunt; unde sexangulas sibi cellas struunt, in quas ova deponit regina. In vacuis cellis apes operantes mel stipant. Postquam in alveari novum examen cum nova regina procreatum est, recens popellus calido die aestivo, duce regina, ex alveari ad novas sedes migrat.

2. Ratio operis apum haec est. Interdiu statio ad portas more castrorum, noctu quies in matutinum, donec una ceteras excitet gemino aut triplici bombo, ut buccino aliquo. Tunc universae provolant, si dies mitis futurus est. Praedivinant enim ventos imbresque, et se continent

tectis. Itaque temperie caeli, quum agmen ad opera processit, aliae flores aggerunt pedibus, aliae aquam ore, guttasque lanugine totius corporis. Quibus est adolescentia, illae ad opera exeunt et supra dicta convehunt: seniores intus operantur. Quae flores comportant, totae onustae remeant. Excipiunt eas ternae aut quaternae atque exonerant. Sunt enim intus quoque officia divisa. Aliae struunt, aliae poliunt, aliae suggerunt, aliae cibum comparant ex eo, quod allatum est. Neque enim separatim vescuntur, ne inaequalitas operis et cibi fiat et temporis. Mira est observatio operis. Cessantium inertiam notant, castigant mox, et puniunt morte. Mira mundities; amoliuntur omnia e medio, nullaeque inter opera spurcitiae jacent. Quin et excrementa operantium intus, ne longius recedant, unum congesta in locum, turbidis diebus et operis otio egerunt 1). Quum advesperascit, in alveo strepunt minus ac minus, donec una circumvolet, eodem, quo excitavit, bombo ceu quietem capere imperans: et hoc castrorum more 2).

3. Non constat, rex 3) nullumne habeat aculeum, majestate tantum armatus: an dederit eum quidem natura, sed usum ejus illi tantum negaverit. Illud constat, imperatorem aculeo non uti. Mira plebi 4) circa eum obedientia est. Quum procedit, una est totum examen, circaque eum conglobatur, cingit, protegit, cerni non patitur. Reliquo tempore quum populus in labore est, ipse opera intus circuit, similis exhortanti, solus immunis. Procedit foras non nisi migraturo examine. Id multo intelligitur ante, aliquot diebus murmure intus strepente. Diem tempestivum eligunt. Si quis alam regi detruncet, non fugiet examen. Quum processere, se quaeque proximam illi cupit esse, et in officio conspici gaudet. Fessum humeris sublevant, validius fatigatum ex toto 5) portant. Si qua lassata deficit, aut forte aberravit, odore persequitur. Ubicunque ille consedit, ibi cunctarum castra sunt. Duce prehenso, totum tenetur agmen: amisso, dilabitur migratque ad alios. Esse utique sine rege non possunt. Invitae autem interimunt eos, quum plures fuere: tunc et fucos abigunt. Certum est, ab apibus fucos interfici. Aculeum apibus natura dedit ad unum ictum: hoc infixo quidam eas statim emori putant. Est in exemplis 6), equos ab iis occisos. Odere foedos odores, proculque fugiunt. Rege peste consumpto maeret plebs ignave

dolore 7), cibos non convehit, non procedit, tristi tantum murmure glomeratur circa corpus ejus.

1) egerere. 2) на подобіе стана 3) выше названъ *regina*, матка. 4) пчелы. 5) совсѣмъ, совершенно. 6) бывали примѣры 7) въ бездѣйствіи и горѣ.

50. *Цвѣты.*

Mira florum varietas est: quumque ipsae plantae maximam partem usus alimentique gratia in terris gignantur; flores earum nascuntur, ut pulchritudine sua moveant oculos et delectent, utque admoneant homines, quae spectatissime floreant, celerrime marcescere.

Differunt rosae multitudine foliorum, asperitate, lepore, colore, odore. Lilium rosae nobilitate proximum est. Nulli florum excelsitas major. Candor ejus est eximius. Est et rubens lilium et purpureum. Violarum plures species, purpureae, luteae, albae. Florum ver nunciantium prima est viola.

51. *Издѣлія изъ царства растительнаго.*

Linum in fila ductum et contextum infinitas hominibus commoditates praestat. Linum vile aut impolitum stupa vocatur. Cannabis est utilissima funibus, retibus et pannis conficiendis. Rubia tingendis lanis et coriis idonea est.

52. *Деревья.*

1. Arborum genera varia sunt; quippe multae ipsae sponte sua proveniunt, multae nostra manu satae 1) procedunt. Quae non ope humana gignuntur, silvestres ac ferae sunt; at quibus labor adhibetur, magis aptae sunt fructibus. Arborum flos est pleni veris indicium et anni renascentis.

2. Non omnes arbores in omnibus locis nascuntur, nec translatae 2) vivunt caelo invidente 3) vel solo repugnante. Quamquam a solo quidem ope diligentis culturae impetratur aliquando, ut alienas arbores alat advenasque nutriat: contra caeli vero intemperiem remedium repertum est nullum.

3. Montes amant cedrus, larix, taeda et ceterae ex quibus resina gignitur, item juniperus et aliae. Montes et valles diligit abies, robur, castanea, tilia, ilex. Aquosis

montibus gaudent acer, fraxinus, tilia, cerasus. Gaudet frigidis betula 4). Non nisi in aquosis proveniunt salices, alni, populi, vaccinia.

4. Arborum aliis decidunt folia, aliae sempiterna coma virent, ut olea, laurus, palma, myrtus, cupressus, pinus, edera, abies, larix, pinaster, juniperus, cedrus, terebinthus, buxus, ilex, taxus, aliae. Latissima folia fico, viti, platano; angusta myrto, punicae, oleae; pungentia pino, piceae, abieti, larici, cedro. Pinus, abies, picea, larix, cedrus et nonnullae aliae arbores picem gignunt. Omnes perpetuo virent, nec facile discernuntur fronde, nisi a peritis. Abies e cunctis amplissima, illique pulcherrima materies E ramis generum horum nucamenta squamatim compacta dependent.

5. Vitis ceteris stirpibus jure praeponitur, non tantum fructus dulcedine, sed etiam facilitate, per quam omni paene regione, nisi glaciali, curae hominum respondet, tamque felix campis, quam collibus provenit. Vini genera differunt colore, sapore, aetate, virtute, patria. Mulsum est vinum melle conditum. Uvae suspenduntur et in sole panduntur, ut passae fiant.

6. Ex omnibus stirpibus longe minorem impensam desiderat olea. Omnis olea major fere ad escam, minor oleo est aptior. Oliva constat nucleo, oleo, carne, amurca. Palma, arbor nobilis, orienti propria est; sunt quidem et in Europa, sed minutae sterilesque; frugiferae vero nusquam nisi in fervida regione.

1) serere. 2) transferre 3) въ неблагопріятномъ климатѣ. 4) холодныя страны.

53. *Песокъ, камни.*

Arena liquatur igni ac funditur in usum vitri. — Calx et gypsus e lapidibus coquuntur. — Marmor est vel candidum vel maculosum, versicolores habens maculas, cujus genera et colores non facile est enumerare in tanta multitudine Marmora scalpunt, secant etiam in crustas. Asbestus lapis est flexilis in modum lini, nihil igni deperdens. Pumex lapis cavernosus, ad corpora levigànda utilissimus. Lapillos pretiosos, sive plane pellucidos, sive minus, gemmas vocamus. Maximum in rebus humanis, non solum inter gemmas, pretium habet adamas, cujus duritia inenarrabilis est.

Smaragdus est viridis. Beryllorum probatissimi viriditatem puri maris imitantur. Chrysoberylli sunt paulo pallidiores, sed in aureum colorem exeunte fulgore. Vicinum genus huic est viridius, vocaturque Chrysoprasus. Carbunculus similitudine ignium appellatur. Sapphiri caeruleae, raroque cum purpura: nusquam pellucidae. — Magnes ferrum ad se allicit et attrahit; est etiam ipsi vis ad septentriones dirigens.

54. Соль.

Sal omnis aut fit aut gignitur, utrumque plurimis modis. Sunt montes nativi salis, in quibus lapicidinarum modo caeditur, quem salem vocant fossitium. Aliud genus ex aqua marina sponte gignitur, spuma in extremis litoribus ac scopulis relicta. Factitii salis varia genera; vel enim in salinis, mari affuso, sole multo inarescit, vel excoquitur muria ex fontibus hausta, et sal conficitur candidus. Sale in condiendis cibis atque servandis carnibus et piscibus utimur.

55. Металлы.

1. Metalla scrobibus maxime puteorum 1) effodiuntur, dum cuniculis per magna spatia actis 2) cavantur montes ad lucernarum lumina: in quo opere sidunt nonnunquam rimae subito et opprimunt operarios. Quod effossum est, tunditur, lavatur, molitur in farinam. Ignis vitium 3) metalli excoquit. Quae e catino jactatur inutilis materia, in omni metallo scoria vocatur.

1) рудокопни. 2) переходы. 3) посторонняя примѣсь.

2. *Auro* praecipua gratia, ob fulgorem et raritatem. Invenitur etiam in fluminibus, quo nullum absolutius est. Non aliud metallum laxius dilatatur. Et quum ponderosissimum sit omnium, non modo metallorum, sed corporum, quam Hispanico nomine *Platinam* appellamus, ad eam proxime accedit pondere aurum. *Argentum* nonnisi in puteis reperitur. *Aes* effoditur ignique perficitur. Antiquissima pecunia ex illo cudebatur, immo ante numorum usum pretium aliarum rerum aeris pondere aestimabatur. Cadmia in aes conjicitur, ut fiat orichalcum. *Plumbum* est metalli

genus *stanno* inferius. Ejus natura humida est, stanni autem plus aridi habet 1): ideo hoc ad nullam rem sine mistura utile est. Stannum illitum 2) aeneis vasis saporem gratiorem facit et compescit aeruginis virus. *Ferri* metalla 3) ubique propemodum reperiuntur, minimaque difficultate cognoscuntur. Ex hoc optima pessimaque vitae instrumenta fiunt; siquidem hoc humum scindimus, exstruimus tecta, saxa caedimus, plurimosque ad alios usus ferrum adhibemus; sed eodem ad bella, caedes, latrocina homines utuntur Chalybs est genus ferri durissimi. — *Argentum* quod vocatur *vivum*, metallum est, quod unum in eo quo homines vivimus calore liquidum semper est, nec nisi maximo frigore in ceterorum metallorum habitum concrescit sive congelatur. Innatant ei quaecunque injiciuntur, praeter illa metallorum ponderosissima. Vasa exest 4) ac perrumpit e quovis metallo, praeter ferrum et platinam, conflata.

1) въ свинцѣ больше влаги, олово суше. 2) illinere. 3) руды желѣзныя. 4) exedere.

56. *Воздушныя явленія.*

1. Terra universa circumfusa undique est aëre. Huic vapores levitate sua sublati innatant, qui quanto magis calore solis extenuati sunt, tanto evehuntur altius Ubi copiose cientur, et una cum aëre frigoris vi coguntur, veniunt in conspectum oculorum *) efficiuntque nebulas. Coacti in guttulas vapores terram, pluviae prope modo, humectant, haud absimiles rori, qui terrae mane vesperive incubat. Ex rore gelido nascitur pruina. Vapores in sublime acti densiusque stipati nubes efficiunt. Hae saepe suo pondere ruptae ruunt in terram efficiuntque pluviam, quae vel minutis rarisque guttulis terram adspergit, vel grandes copiosasque guttas defert, quod genus imbres appellamus: vel denique omnis nubium humor una prope effunditur nimbumque efficit. Grando conglaciato imbre, nix eodem humore mollius coacto gignitur. Glacies est aqua congelata. Iris, arcus caelestis, tum exsistit, quum sol radiis suis exadversum candentes pluviae guttas illuminat.

*) становятся примѣтны.

2. Fulgur appellatur fulgor ille subitus, ex obscuris plerumque nubibus emicans, cum tonitru fere conjunctus, licet illud vel serius ad aures, quam fulgur ad oculos per-

veniat, vel plane ferire aures non possit. Fulminei quidem ignis varii mirique effectus sunt: nam modo incendit corpora, in quae irruit, modo leviter tantum adurit, modo findit frangitve, interdum etiam liquefacit.

3. Quod olim in prodigiis numeratum est, noctu caelum arsisse 1), id haud dubie de lumine illo intelligi debet, quod a plaga caeli, unde fulget, boreale 2) vocatur, et hibernis fere noctibus spectaculo est.

1) ardere. 2) сѣверное сіяніе.

4. Aliae praeterea igneae species, sed sine fragore, interdum vagantur, quas, quum majores sunt, dracones volantes 1), quum minores, propter similitudinem aliquam trajectiones stellarum 2) vocitant. Harum causa et ratio nobis quidem non est perspecta; probabile tamen est, vapores esse quosdam incensos in remotioribus a nostra tellure regionibus, nec absimiles minutis illis flammulis, quae e locis paludosis recentibusque sepulcris surgere illisque inerrare saepe videmus, et quae sub *ignis fatui* 3) appellatione notae sunt.

1) летучіе зміи. 2) падучія звѣзды. 3) блудящіе огни.

57. *Тѣла небесныя.*

1. Caelo adscribimus stellas, solem et lunam. Stellarum tria sunt genera. Primum earum, quae eundem semper cum ceteris locum obtinent, aequaliterque omni tempore inter se distant. Has *fixos* vocant. Credibile est, fixam quamque stellam esse soli nostro similem; et circum eam etiam moveri corpora, quae illius lumine ac fotu et illustrentur et calefiant. Illarum numerus definiri nequit. Candidus ille circulus, quem galaxiam a lacteo colore appellamus, stellis fixis constat.

2. Ex alio genere sunt, quos *Planetas*, hoc est, errantes stellas appellant. Quum enim fixae illae, ob motum terrae annuum, certo et definito itinere ab oriente occasum versus ferri semper videantur; illae contra modo eundem, quem ceterae tramitem servant, modo remeant, et iisdem diversorum annorum temporibus diversis locis sunt conspicuae, dum circa solem suis quaeque legibus et temporibus volvuntur. Ex horum corporum numero haec ipsa, quam habitamus, terra est. Ceteri planetae, ad instar telluris nostrae ipsi quoque opaci, et lucis propriae expertes, dum

a sole illam mutuantur, stellarum specie nobis apparent. Horum quinque olim numerabantur, Mercurius, Venus, Mars, Juppiter, Saturnus. Nostris autem temporibus primo Herschelius in Britannia novum alium eumque a nobis remotissimum detexit, quem *Uranum* vocare solemus: et nuperrime quattuor novi, miro inter se necdum satis perspecto consortio juncti, ab astronomis inventi sunt, quos *Cereris*, *Palladis*, *Junonis* et *Vestae* nominibus insignIverunt. Ceterum Planetis quibusdam sui sunt Satellites, qui circum ipsos vertuntur; e quo genere ea quoque, quae tellurem nostram comitatur, Luna est.

3. Tertium est stellatum genus, cui *cometarum* nomen inditum est, quod *stellam crinitam* significat. Visae enim sunt ex hoc genere stellae, quae longam radiantemque comam sive caudam traherent: aliae ea destitutae sunt. Raro nec fere nisi singulae comparent; earumque natura minus etiam quam planetarum comperta est. Nam et in diversissimis caeli regionibus conspiciuntur, et discessus earum reditusque certis legibus hucusque definiri non potuit.

4. Luna noctu lucet, et eam lucem, quam a sole accipit, in terram mittit. Varias ipsa mutationes lucis habet: modo enim curvata est in cornua, modo dimidiata, modo toto orbe lucet, quod plenilunium vocant, modo nobis quidem prorsus non lucet: quod interlunium dicunt. Eadem interposita nonnunquam inter solem terramque radios solis et lumen obscurat; alias ipsa in umbram terrae incidens, quum est e regione solis, interpositu terrae repente deficit, quorum illud *solis*, hoc *lunae eclipsis* sive *defectus* appellatur. Ceterum luna multo minor est quam terra.

5. Veneris stella, errantium pulcherrima, Phosphorus graece, Lucifer latine dicitur, quum mane antegreditur solem; quum subsequitur vespere, Hesperus. Haec quoque stella minor est terra, itemque Mercurius et Mars.

6. Sol astrorum obtinet principatum. Igneus est, omnesque planetas clarissima luce collustrat, et efficit, ut in terra omnia vigeant, et in suo quaeque genere pubescant. Non tepefacit solum, sed etiam comburit. In compage media planetica ita collocatus est, ut ipse circa axem suum rotetur, planetae autem omnes circa ipsum orbitis moveantur, hoc ordine, ut proximum a sole locum Mercurius teneat, alterum Venus, tertium Terra cum Luna,

quartum Mars, quintum Juppiter cum quattuor satellitibus vel lunis, sextum Saturnus cum septem satellitibus, cinctus praeterea annulo quodam *).

*) здѣсь не помѣщены вновь открытыя планеты, для соблюденія давно извѣстнаго порядка старыхъ.

7. Omnes stellae globosae sunt atque rotundae. Et tellus a rotunditate orbis terrarum dicitur. Esse autem eam rotundam, umbra illius in eclipsi lunae rotunda, esse globosam, navigationes circa terram, ortus et occasus solis, multaque alia ita arguunt, ut nemo hodie dubitet.

58. *Здоровье и болѣзнь.*

1. Sanus homo, qui et bene valet, et suae spontis *) est, nullis obligare se legibus medicorum debet. Hunc oportet varium habere vitae genus: modo ruri esse, modo in urbe, saepiusque in agro; navigare, venari, quiescere interdum, sed frequenter se exercere. Nam ignavia corpus hebetat, labor firmat; ille maturam senectutem, hic longam adolescentiam reddit. Prodest etiam interdum balneo, interdum aquis frigidis uti: nullum cibi genus fugere, quo populus utatur; bis die potius, quam semel cibum capere, et semper tantum, quantopere concoquere queat.

*) въ хорошемъ расположеніи духа.

2. At imbecillis (quo in numero magna pars urbanorum omnesque paene litterarum studiosi sunt) observatio major necessaria est. Ex his igitur qui bene concoxit, primo mane tuto surget: qui parum, quiescere debet: qui non concoxit, ex toto conquiescere, ac neque labori se, neque exercitationi credere; habitare vero aedificio lucido, perflatum aestivum, hibernum solem habente; cavere meridianum solem, matutinum et vespertinum frigus. Ubi experrectus *) est aliquis, paullum intermittere, deinde, nisi hiems est, fovere os multa aqua frigida debet. Quem interdiu vel domestica vel civilia officia tenuerunt, huic tempus aliquod servandum curationi corporis est. Prima autem ejus curatio exercitatio est, quae semper antecedere cibum debet: in eo, qui assuetus est, et minus concoxit, amplior. Commode vero exercent clara lectio, pila, cursus, ambulatio: atque haec non utique plana commodior est: siquidem melius ascensus et descensus cum quadam varietate corpus movet, nisi tamen id perquam imbecillum est. Melior autem est ambulatio sub divo quam in portico; melior recta quam fle-

xuosa. Exercitationis plerumque finis esse debet sudor aut certe lassitudo: idque ipsum modo minus, modo magis faciendum est.

*) expergisci.

3. Post exercitationem paullum conquiescere opus est. Ubi ad cibum ventum est 1), nunquam utilis est nimia satietas, saepe inutilis nimia abstinentia. Condita 2) omnia duabus de causis inutilia sunt, quoniam et plus propter dulcedinem assumitur, et, quod modo par 3) est, tamen aegrius concoquitur. Post satietatem nihil agendum.

1) въ яствахъ, въ кушаньѣ. 2) condire. 3) и хотя бы умѣренно.

4 Periclitatur et qui semel et qui bis die cibum incontinenter contra consuetudinem assumit. Item neque post nimium laborem subitum otium, neque post nimium otium subitus labor sine gravi noxa est. Ergo cum quis mutare aliquid volet, paullatim debebit assuescere. Atque ideo quoque nimis otiosa vita utilis non est, quia potest incidere subito laboris necessitas. Illud quoque nosse oportet, ex labore sudanti frigidam potionem perniciosissimam esse; atque etiam, quum sudor remisit, itinere fatigatis inutilem. Levat lassitudinem etiam laboris mutatio. Qui toto die sedit, huic nihil currendum, sed lente ambulandum est.

5. Extenuat corpus aqua calida, nimius calor, cura, vigilia, somnus nimium vel brevis vel longus, cursus, multa ambulatio, omnisque vehemens exercitatio, vomitus, dejectio, acidae res et austerae, et semel in die assumptae epulae. Purgationes interdum necessariae sunt, sed ubi frequentes sunt, periculum afferunt. Assuescit enim non ali corpus, et ob hoc infirmum erit, quum omnibus morbis obnoxia maxime infirmitas sit.

6. Tempus quoque anni considerare oportet. Hieme plus esse *) convenit, minus bibere; at vere paullum cibi demendum adjiciendumque potioni. Aestate vero et potione et cibo saepius corpus eget. Per autumnum propter caeli varietatem periculum maximum est. Itaque neque sine veste, neque sine calceamentis prodire oportet, praecipueque diebus frigidioribus, neque sub divo noctu dormire, nisi bene opertum. Poma nocere quidam putant. At non haec, sed consummatio omnium nocet. In nullo tamen minus quam in his noxa est.

*) вм. edere.

7. Cui caput infirmum est, is, si bene concoxit, leniter perfricare id manibus suis debet, capillos quotidie pectere, multum ambulare, sed, si li et, neque sub tecto neque in sole: utique autem vitare solis ardorem, maximeque p st cibum Eidem modicus cibus necessarius est, quem facile concoquat. Scribere, legere, voce contendere post coenam non debet, post quam ne cogitatio quidem satis tuta est.

8. Quem frequenter cita alvus exercet, huic opus est, pila similibusque superiores partes exercere; dum jejunus est, ambulare, vitare solis nimium ar lorem, non uti cibis variis minimeque jurulentis, omnia denique sumere, quae tarde concoquuntur. Semper post cibum conquiescere debet, ac neque intendere animum, neque ambulatione quamvis leni moveri. — Si quis stomacho laborat, legere clare debet, post lectionem ambulare, tum pila aliove genere, quo superior pars moveatur, exerceri; non aquam, sed vinum calidum bibere jejunus; cibum bis die assumere, sic tamen, ut facile concoquat, uti praeterea vino tenui et austero. Stomachum autem infirmum indicant pallor, macies, praecordiorum dolor, nausea et nolentium vomitus, in jejuno dolor capitis.

9 Aliae res boni succi, aliae mali sunt; aliae lenes, aliae acres; aliae crassiorem pituitam in nobis faciunt, aliae tenuiorem; aliae idoneae sunt stomacho, aliae alienae; itemque aliae inflant, aliae ab hoc absunt; aliae calefaciunt, aliae refrigerant; aliae facile in stomacho acescunt, aliae non facile intus corrumpuntur; quaedam somnum movent, quaedam sensus excitant

10. Stomacho apta sunt, quaecunque austera sunt, et quae acida, quaeque contacta sale modico sunt. Item panis sine fermento, et el ta alica, vel oryza, vel ptisana, omnis avis, omnis venatio, atque utraque vel assa vel elixa: ex domesticis animalibus bubula *); si quid ex ceteris sumitur, macrum potius quam pingue. Aliena vero stomacho sunt omnia tepida, omnia salsa, omnia jurulenta, omnia praedulcia, omnia pinguia. Ex his intelligi potest, non, quidquid boni succi est, protinus stomacho convenire; neque, quidquid stomacho convenit, protinus boni succi esse.

*) scil. *caro*.

V.

ОТРЫВКИ ИЗЪ МИѲОЛОГІИ.

1. Graeci veteres atque Romani non, sicut nos, unum deum, sed plures deos deasque colebant. Nam inter eos philosophi quidem erant, qui vanitatem religionis popularis intelligerent et unum tantummodo deum, hujus mundi opificem, colendum esse censerent, vulgus tamen innumeros fere deos colebat, donec Christiana religio doctrinam de uno Deo latius propagaret. Illorum deorum notissimos recensebimus.

2. Omnium deorum primus et maximus erat *Juppiter.* Hic *Saturni* et *Rheae* filius fuisse et in Creta insula natus et educatus esse dicitur. Quum autem adolevisset 1), patrem suum regno expulit 2), atque illud cum fratribus suis ita divisit, ut ipse imperium caeli et terrae, *Neptunus* maris, *Pluto* inferorum obtineret. Attamen illi etiam Neptunus et Pluto parebant. Fingebatur Juppiter plerumque sedens in solio eburneo, sceptrum sinistra manu, dextra fulmen tenens. Juxta eum stabat aquila, quae avis ei consecrata erat, et pocillator Ganymedes. Ex arboribus sacra ei erat quercus.

1) adolescere. 2) expellere.

3. Jovis uxor et soror erat *Juno.* Fingebatur solio insidens, habitu regali, sceptro et diademate insignis. Dea haec regnis et matrimoniis praeerat. Ex avibus pavo illi sacratus erat, qui et in imaginibus ejus conspici solet. Junonis ministra et nuncia erat *Iris.*

4. *Vesta,* Saturni filia, ignem domesticum significabat. Semper virgo fuit. Cultus ejus fuit antiquissimus. Romae primus ei templum rex Numa exstruxit. In eo statua nulla erat, sed ignis perpetuus a virginibus Vestalibus, hujus deae secerdotibus, servabatur, et gravis poena in eam, cujus negligentia ignis ille exstinctus foret, constituta erat.

5. *Minerva,* quae et *Pallas* dicitur, Jovi dignitate fuit proxima, atque adeo ex cerebro Jovis nata 1) esse fingitur, quia sapientiae et artium praeses habetur. Colebatur imprimis Athenis, ubi maxime litterarum studia vigebant. Tribuunt ei inventionem lanificii et oleae. Tum belli etiam et armorum dea erat. Denique quadrigas et bigas invenisse fertur. Fingitur armata, torvo vultu, glaucis oculis, galeam capite gerens et induta thorace, in quo effictum 2)

erat Medusae caput serpentibus circumvolutum, cujus adspectus homines in lapides convertere credebatur. Ex avibus noctua ei sacra erat, ex arboribus olea.

1) nasci. 2) effingere.

6. *Ceres*, Saturni et Rheae filia, frugum dea. Haec prima sationem et usum frumenti homines docuit, quum antea glandibus vescerentur. Sacra ejus religioso quodam silentio celebrabantur. Fingebatur coronam gestans spicis ornatam, facem plerumque altera manu tenens, quoniam facibus olim ad Aetnam accensis Proserpinam filiam a Plutone raptam quaesiverat, altera interdum papaver.

7. *Mars*, belli praeses, praecipuo honore a Romanis colebatur, Romulum et Remum, qui Romam condiderant, filios ejus fuisse credentibus. Animalia ei sacra erant lupus, picus et maxime equus. Fingebatur ardente vultu, currui plerumque insistens vel equo insidens hasta et flagello armatus. In ejus honorem tertius anni mensis Martius dictus est. Aurigae munere in curru Martis fungebatur *Bellona*, soror illius. — *Victoria* Romae colebatur sub forma virginis alatae, coronam vel palmam manu ferentis.

8. *Mercurius*, Jovis et Majae, quae filia erat Atlantis filius, nuncius deorum erat, praecipue Jovis. Praeerat sermoni et eloquentiae; animas defunctorum ad inferos deducebat; mercatorum quoque et lucri, quin et furum deus habebatur. Praeterea musices et lyrae inventor erat. Fingebatur ut juvenis formosus, petaso et talaribus aureis alatis insignis, caduceum sive virgam manu tenens, cui duo serpentes erant circumvoluti, quia praeconis etiam munere fungebatur et auctor erat pacis, cujus signum olim hic fuit caduceus.

9. *Apollo*, qui et Phoebus dicitur, Jovis et Latonae filius fuit, cum sorore Diana in insula Delo natus. Hunc quattuor praecipue artium inventorem et praesidem finxerunt, medicinae, artis sagittariae, musices et poësis, unde a poëtis prae ceteris invocatur et lyram tenens fingitur; denique arti divinandi praeerat, et plurima ei consecrata erant oracula, quorum celeberrimum erat Delphicum. Idem deus praeses erat *Musarum*, quae litteris et artibus liberalibus praesunt. Novem sunt Musae, quarum nomina haec: Clio, Euterpe, Thalia, Melpomene, Terpsichore, Erato, Polyhymnia, Urania, Calliope. Fingebatur Apollo specie imber-

bis juvenis, promissis capillis, dextra arcum et sagittas, laeva lyram tenens. Coronatur *lauro*, quae arbor ei sacra erat, unde etiam poëtae lauro coronantur. Inter aves sacer ei erant corvus et cygnus. Multi Apollinem et Solem eundem deum esse dicunt; alii tamen rectius eos distinguunt.

10. *Diana*, Apollinis soror, Jovis et Latonae filia, semper virgo fuisse fertur. Eadem et *Luna* fuisse dicitur, quare cum lunula in fronte pingitur. Praeerat venationibus, silvis et montibus, quare canes ei erant consecrati. Fingebatur coma soluta, arcum et sagittas manu tenens, cervos aliasve feras persequens cum canibus.

11. *Venus*, amoris et pulchritudinis dea, ex spuma maris orta esse dicitur. Curru vehitur tracto a cygnis vel columbis. Ex arboribus myrtus ei sacra erat. Comitatur eam filius, *Cupido*, puer alatus arcu atque sagittis instructus. Praeter hunc comites habet tres *Gratias*, venustatis deas. Dicuntur Aglaja, Thalia, Euphrosyne. Hae finguntur plerumque nudae et manibus junctis *).

*) рука въ руку.

12. Veneris, pulcherrimae omnium dearum, maritus erat turpissimus omnium deorum, *Vulcanus*, Jovis et Junonis filius. Ob deformitatem a Jove caelo ejectus 1), et in insulam Lemnum delapsus 2), eoque claudus factus est. Erat ignis et fabrorum ferrariorum deus. Officinam habebat in monte Aetna. Ministri ejus erant *Cyclopes*, gigantes unum oculum in media fronte habentes.

1) ejicere. 2) delabi

13. *Neptunus*, Jovis frater, maris imperium obtinuerat. Huic, quia primum equum e terra produxisse credebatur, equus erat consecratus. Agnoscitur imprimis tridente, quem manu gerit. Comitatur eum *Triton* filius, tubicen, qui concha pro tuba utitur.

14. *Pluto*, Saturni filius, inferorum deus, pingitur solio insidens loco tenebricoso, torvo vultu, sceptro et corona ex ebeno insignis. Plutonis uxor erat *Proserpina*, Jovis et Cereris filia. Hanc Pluto ex Sicilia rapuerat. Cereris tamen precibus effectum est, ut sex tantum menses apud maritum in Orco, sex reliquos apud matrem degeret. *Orcus* dividitur in Tartarum, sedem malorum et improborum, qui variis ibi poenis cruciantur, et campos Elysios, piorum sedem. Judices umbrarum tres sunt: Minos, Rhadamanthus,

Aeacus. Ad inferos umbras deducit Mercurius, deductas excipit nauta *Charon*, et trans Stygem et Acherontem, Orci flumina, transvehit. Qui in terra humati non sunt, diu in litore Stygis circumerrant. Propterea magnam sepulturae curam habebant veteres. Ex flumine *Lethe* oblivionem superioris vitae bibunt. Introitum Orci custodit canis *Cerberus*, horribile monstrum, triceps et serpentibus circumvolutum. Adsunt in orco etiam *Furiae*, quae malos homines excruciant. Vocantur Alecto, Tisiphone, Megaera. Crinibus serpentes involutos habent; manu facem ardentem gestant. Significant hominis conscientiam, quae maleficos excruciat. — Commemorandae etiam sunt *Parcae*, quae fatis hominum praesunt. Vocantur Clotho, Lachesis, Atropos. Lachesis colum tenet, Clotho filum vitae ducit, Atropos abrumpit.

15. *Janus*, anni deus, initiis et vicissitudinibus omnibus, anni maxime et mensium et diei, item foribus praeerat, quae ab eo januae dicuntur. Mensis quoque Januarius, qui annum aperit, de Jano dictus est. Hic primus homines sacrorum ritus docuisse dicitur, fuisse autem antiquus Italiae rex, qui vini usum Italos docuerit. Statua ejus erat bifrons, ut et praeterita et futura spectare videretur. Clavem et virgam manu tenet. Templum ejus antiquissimum Romae Capitolium belli tempore patebat: pace facta claudebatur: quod intra annos 723 ter tantum accidit.

16. *Saturnus*, temporis in genere deus, fuit Caeli et Telluris filius. Liberos, quos ei pariebat Rhea, devoravit. Sed pro Jove datus ei est lapis. Postea a Jove regno pulsus ad Janum in Italiam confugit, et ibi *latuit*, unde ea regio *Latii* nomen accepisse fertur. A Jano in societatem regni adscitus homines agrestes ad mores humaniores perduxit, unde eo regnante aurea aetas floruisse dicitur. Fingitur Saturnus ut senex decrepitus, falcem manu tenens, aliquando et anguem caudam sibi mordentem: aliquando denique infantem devorans. *Saturnalia* in ejus honorem celebrabantur mense Decembri per septem dies, maxima laetitia. Tum munera inter se mittebant Romani. Servis tum licebat cum dominis ludere et jocari, iisque ad mensam accumbentibus ministrabant domini, quo auream significarent aetatem, qua omnes homines ejusdem conditionis fuerunt.

17. Uxor Saturni erat *Rhea*, quae eadem mater deorum et *Cybele*, vocatur. Colebatur praecipue in montibus

Phrygiae. Fingebatur coronam turritam gestans, clavem tenens, curruique insidens a leonibus tracto. In ejus sacris tympanis et cymbalis utebantur sacerdotes. Ex arboribus ei sacra erat pinus.

18. *Bacchus* erat vini deus. Fingebatur adolescens comatus, formosus et nudus; saepe etiam cornutus, hedera coronatus, et manu gestans thyrsum, hoc est hastam hedera vel pampinis circumvolutam. Currus ejus a tigribus vel leonibus trahitur. Comites Bacchi erant Nymphae, Satiri capripedes, et Silenus, qui olim praeceptor ejus fuerat: tum mulieres ebriae et furentes, quae Bacchae et Maenades dicuntur. Immolabatur ei hircus, quod animal vitibus nocere solet.

19. *Genius* erat naturae deus. Credebant veteres, suum unicuique homini esse genium, qui eum tueretur. Itaque jurare solebant per genium suum; servi per genium domini, cives Romani, amissa libertate, per genium principis jurabant. Multi duos genios, alterum bonum, alterum malum hominibus adesse credebant. Sacra genio fiebant natali cujusque die floribus et vino, unguentis, ture nunquam autem sanguine.

20. Praeter hos deos colebant veteres multos alios, quibus minor erat dignitas. Talis e. g. est Pan, pastorum deus; Silvanus, silvarum et ruris praeses; Pomona, pomorum dea; Terminus, qui agrorum fines tuebatur, et lapidis quadrati specie colebatur. Multi praeterea heroes propter merita et virtutes inter deos recepti sunt, e. g. Hercules, fortissimus antiquitatis heros; Castor et Pollux; Aesculapius, medicorum deus; Quirinus, quo nomine Romulus, Romae conditor, colebatur. Imperatores etiam a Romanis inter deos referri solebant; nec ipsi solum, sed etiam eorum uxores, filiae, sorores. Tandem etiam virtutes, affectiones animi, et similia a Graecis Romanisque colebantur, e. g. *Virtus* et *Honor* duas aedes habuerunt extra urbem ita positas, ut per aedem Virtutis ad aedem Honoris aditus esset. Sic porro templum habebat Pietas, Fides, Spes, Pudicitia, Concordia, Pax, Felicitas, Libertas. Ipsa etiam urbs Roma pro dea habita est. Huc refer etiam *Fortunam*, quae fingitur in globo vel in rota stans, alata, et navis gubernaculum tenens. Denique et res quaedam noxiae divino honore sunt cultae. *Febris* e. g. tria Romae habuit templa.

21. De omnibus his diis multae narrantur fabulae, quarum congeries vocatur Mythologia. Nos, quibus veriorem

qui cognitionem largitus est Deus, grata hoc beneficium piaque mente veneremur.

VI.
ВЫПИСКИ ИЗЪ РИМСКОЙ ИСТОРІИ и ДРЕВНОСТЕЙ.
(Изъ Ливія.)
1. *Ромулъ и Ремъ.*

Vestalis, quum geminum partum edidisset, seu ita rata, seu quia deus auctor culpae honestior erat, Martem incertae stirpis patrem nuncupat. Sed nec dii, nec homines, aut ipsam, aut stirpem a crudelitate regia vindicant: sacerdos vincta in custodiam datur; pueros in profluentem aquam mitti jubet. Forte quadam divinitus super ripas Tiberis effusus lenibus stagnis, nec adiri usquam ad justi cursum poterat amnis; et, posse quamvis languida mergi aqua infantes, spem ferentibus dabat. Ita velut defuncti regis imperio, in proxima alluvie, ubi nunc ficus Ruminalis est, Romularem vocatam ferunt, pueros exponunt. Vastae tum in iis locis solitudines erant. Tenet fama, quum fluitantem alveum, quo expositi erant pueri, tenuis in sicco aqua destituisset, lupam sitientem ex montibus, qui circa sunt, ad puerilem vagitum cursum flexisse: eam submissas infantibus adeo mitem praebuisse mammas, ut lingua lambentem pueros magister regii pecoris invenerit. Faustulo fuisse nomen ferunt. Ab eo ad stabula Larentiae uxori educandos latos.

2. *Основаніе Рима.*

Romulum Remumque cupido cepit, in iis locis, ubi expositi, ubique educati erant, urbis condendae. Et supererat multitudo Albanorum Latinorumque: ad id pastores quoque accesserant, qui omnes facile spem facerent, parvam Albam, parvum Lavinium, prae ea urbe quae conderetur, fore. Intervenit deinde his cogitationibus avitum malum, regni cupido, atque inde foedum certamen coortum a satis miti principio. Quoniam gemini essent, nec aetatis verecundia discrimen facere posset, ut Dii, quorum tutelae ea loca essent, auguriis legerent, qui nomen novae urbi daret, qui

conditam imperio regeret. Palatium Romulus, Remus Aventinum ad inaugurandum templa capiunt.

Priori Remo augurium venisse fertur, sex vultures: jamque, nuntiato augurio, quum duplex numerus Romulo se ostendisset, utrumque regem sua multitudo consalutaverat: tempore illi praecepto, at hi numero avium, regnum trahebant. Inde, cum altercatione congressi, certamine irarum ad caedem vertuntur: ibi in turba ictus Remus cecidit. Vulgatior fama est, ludibrio fratris Remum novos transiluisse muros: inde ab irato Romulo, quum verbis quoque increpitans adjecisset, *Sic deinde, quicunque alius transiliet moenia mea*, interfectum. Ita solus potitus imperio Romulus: condita urbs conditoris nomine appellata.

Rebus divinis rite perpetratis, vocataque ad concilium multitudine, quae coalescere in populi unius corpus nulla re, praeterquam legibus, poterat, jura dedit. Quae ita sancta generi hominum agresti fore ratus, si se ipse venerabilem insignibus imperii fecisset, quum cetero habitu se augustiorem, tum maxime lictoribus duodecim sumtis, fecit. Alii ab numero avium, quae augurio regnum portenderant, eum secutum numerum putant; alios haud poenitet eorum sententiae esse, quibus et apparitores et hoc genus ab Etruscis finitimis, unde sella curulis, unde toga praetexta sumta est, numerum quoque ipsum ductum placet: et ita habuisse Etruscos, quod, ex duodecim populis communiter creato rege, singulos singuli populi lictores dederint. Crescebat interim urbs, munitionibus alia atque alia adpetendo loca, quum in spem magis futurae multitudinis, quam ad id, quod tum hominum erat, munirent. Deinde, ne vana vrbis magnitudo esset, adjiciendae multitudinis causa, vetere consilio condentium urbes, qui, obscuram atque humilem conciendo ad se multitudinem, natam e terra sibi prolem ementiebantur; locum, qui nunc septus descendentibus inter duos lucos est, Asylum aperit. Eo ex finitimis populis turba omnis sine discrimine, liber an servus esset, avida novarum rerum perfugit: idque primum ad coeptam magnitudinem roboris fuit. Quum jam virium haud poeniteret, consilium deinde viribus parat: centum creat senatores; sive quia is numerus satis erat; sive quia soli centum erant, qui creari Patres possent. Patres certe ab honore, patriciique progenies eorum appellati.

His immortalibus editis operibus, quum ad exercitum recensendum concionem in campo ad Caprae paludem haberet; subito coorta tempestas cum magno fragore tonitribusque tam denso regem operuit nimbo, ut conspectum ejus concioni abstulerit: nec deinde in terris Romulus fuit.

3. *Нума Помпилій.*

Inclita justitia religioque ea tempestate Numae Pompilii erat. Curibus Sabinis habitabat, consultissimus vir, ut in illa quisquam aetate esse poterat, omnis divini atque humani juris. Auctorem doctrinae ejus, quia non exstat alius, falso Samium Pythagoran edunt: quem, Servio Tullio regnante Romae, centum amplius post annos, in ultima Italiae ora, circa Metapontum Heracleamque et Crotona, juvenum aemulantium studia coetus habuisse constat. Ex quibus locis etsi ejusdem aetatis fuisset, quae fama in Sabinos, aut quo linguae commercio, quemquam ad cupiditatem discendi excivisset? quove praesidio unus per tot gentes, dissonas sermone moribusque, pervenisset? Suopte igitur ingenio temperatum animum virtutibus fuisse opinor magis; instructumque non tam peregrinis artibus, quam disciplina tetrica ac tristi veterum Sabinorum: quo genere nullum quondam incorruptius fuit. Audito nomine Numae, Patres Romani, quamquam inclinari opes ad Sabinos, rege inde sumto, videbantur; tamen, neque se quisquam, nec factionis suae alium, nec denique Patrum aut civium quenquam praeferre illi viro ausi, ad unum omnes Numae Pompilio regnum deferendum decernunt. Adcitus, sicut Romulus augurato urbe condenda regnum adeptus est, de se quoque Deos consuli jussit.

Qui, regno ita potitus, urbem novam, conditam vi et armis, jure eam legibusque ac moribus de integro condere parat. Quibus quum inter bella adsuescere videret non posse, quippe efferatos militia, animos; mitigandum ferocem populum armorum desuetudine ratus, Janum ad infimum Argiletum, indicem pacis bellique, fecit: apertus ut in armis esse civitatem; clausus pacatos circa omnes populos significaret. Bis deinde post Numae regnum clausus fuit:

semel T. Manlio consule, post Punicum primum perfectum bellum: iterum, quod nostrae aetati Dii dederunt, ut videremus, post bellum Actiacum, ab Imperatore Caesare Augusto, pace terra marique parta. Clauso eo, quum omnium circa finitimorum societate ac foederibus junxisset animos, positis externorum periculorum curis, ne luxuriarentur otio animi, quos metus hostium disciplinaque militaris continuerat; omnium primum, rem ad multitudinem imperitam, et illis seculis rudem, efficacissimam, Deorum metum injiciendum ratus est. Qui quum descendere ad animos sine aliquo commento miraculi non posset; simulat sibi cum Dea Egeria congressus nocturnos esse: ejus se monitu, quae acceptissima Diis essent, sacra instituere: sacerdotes suos cuique Deorum praeficere. Atque omnium primum, ad cursum lunae, in duodecim menses describit annum: quem, quia tricenos dies singulis mensibus luna non explet, desuntque dies solido anno, qui solstitiali circumagitur orbe, intercalaribus mensibus interponendis, ita dispensavit, ut quarto et vigesimo anno ad metam eandem solis, unde orsi essent, plenis annorum omnium spatiis dies congruerent. Idem nefastos dies fastosque fecit, quia aliquando nihil cum populo agi utile futurum erat.

Tum sacerdotibus creandis animum adjecit, quamquam ipse plurima sacra obibat, ea maxime, quae nunc ad Dialem flaminem pertinent. Sed, quia in civitate bellicosa plures Romuli, quam Numae, similes reges putabat fore, iturosque ipsos ad bella; ne sacra regiae vicis desererentur, flaminem Jovi assiduum sacerdotem creavit, insignique eum veste et curuli regia sella adornavit. Huic duos flamines adjecit: Marti unum, alterum Quirino, Virginesque Vestae legit; Alba oriundum sacerdotium, et genti conditoris haud alienum. His, ut assiduae templi antistites essent, stipendium de publico statuit: virginitate aliisque ceremoniis venerabiles ac sanctas fecit. Salios item duodecim Marti Gradivo legit, tunicaeque pictae insigne dedit, et super tunicam aeneum pectori tegumen: coelestiaque arma, quae ancilia appellantur, ferre, ac per urbem ire canentes carmina cum tripudiis sollemnique saltatu jussit. Pontificem deinde Numam Marcium, Marci filium, ex Patribus legit, eique sacra om-

nia exscripta exsignataque attribuit; quibus hostiis, quibus diebus, ad quae templa sacra fierent, atqu unde in eos sumtus pecunia erogaretur. Cetera quoque omnia publica privataque sacra Pontificis scitis subjecit, ut esset, quo consultum plebes veniret; ne quid divini juris, negligendo patrios ritus, peregrinosque adsciscendo, turbaretur: nec coelestes modo ceremonias, sed justa quoque funebria placandosque Manes, ut idem Pontifex edoceret: quaeque prodigia, fulminibus aliove quo visu missa, susciperentur atque curarentur. Ad ea elicienda ex mentibus divinis, Jovi Elicio aram in Aventino dicavit, Deumque consuluit auguriis, quae suscipienda essent.

Omnium tamen maximum ejus operum fuit tutela per omne regni tempus, haud minor pacis, quam regni. Ita duo deinceps reges, alius alia via, ille bello, hic pace, civitatem auxerunt. Romulus septem et triginta regnavit annos: Numa tres et quadraginta. Tum valida, tum temperata et belli et pacis artibus, erat civitas.

4. *Туллъ Гостилій.*

Numae morte ad interregnum res rediit. Inde Tullum Hostilium, nepotem Hostilii, cujus in infima arce clara pugna adversus Sabinos fuerat, regem populus jussit. Patres auctores facti. Hic non solum proximo regi dissimilis, sed ferocior etiam Romulo fuit: tum aetas viresque, tum avita quoque gloria animum stimulabat. Senescere igitur civitatem otio ratus, undique materiam excitandi belli quaerebat. Forte evenit, ut agrestes Romani ex Albano agro, Albani ex Romano praedas invicem agerent. Imperitabat tum C. Cluilius Albae. Utrimque legati fere sub idem tempus ad res repetendas missi. Tullus praeceperat suis, ne quid prius, quam mandata, agerent: satis sciebat, negaturum Albanum; ita pie bellum indici posse. Ab Albanis socordius res acta; excepti hospitio ab Tullo blande ac benigne, comiter regis convivium celebrant. Tantisper Romani et res repetiverant priores, et neganti Albano bellum in trigesimum diem indixerant. Haec renuntiant Tullo. Tum legatis Tullus dicendi potestatem, quid petentes venerint, facit. Illi, omnium ignari, primum purgando terunt tempus: *Se invitos quidquam, quod minus placeat Tullo, dicturos, sed impe-*

rio subigi: res repetitum se venisse: ni reddantur, bellum indicere jussos. Ad haec Tullus: *Nuntiate*, inquit, *regi vestro, regem Romanum Deos facere testes, uter prius populus res repetentes legatos aspernatus dimiserit, ut in eum omnes expetant hujusce clades belli.*

5. *Анкъ Марцій.*

Mortuo Tullo, res, ut institutum jam inde ab initio erat, ad Patres redierat: hique interregem nominaverant. Quo comitia habente, Ancum Marcium regem populus creavit. Patres fuere auctores. Numae Pompilii regis nepos, filia ortus, Ancus Marcius erat. Qui, ut regnare coepit, et avitae gloriae memor, et quia proximum regnum, cetera egregium, ab una parte haud satis prosperum fuerat, aut neglectis religionibus, aut prave cultis, longe antiquissimum ratus, sacra publica, ut ab Numa instituta erant, facere; omnia ea ex commentariis regis pontificem in album relata, proponere in publico jubet. Jnde et civibus otii cupidis, et finitimis civitatibus facta spes, in avi mores atque instituta regem abiturum. Igitur Latini, cum quibus, Tullo regnante, ictum foedus erat, sustulerant animos: et, quum incursionem in agrum Romanum fecissent, repetentibus res Romanis superbe responsum reddunt, desidem Romanum regem inter sacella et aras acturum esse regnum rati. Medium erat in Anco ingenium, et Numae, et Romuli memor: et, praeterquam quod avi regno magis necessariam fuisse pacem credebat, cum in novo, tum feroci populo; etiam, quod illi contigisset otium, sine injuria id se haud facile habiturum: tentari patientiam, et tentatam contemni: temporaque esse Tullo regi aptiora, quam Numae. Ut tamen, quoniam Numa in pace religiones instituisset, a se bellicae ceremoniae proderentur; nec gererentur solum, sed etiam indicerentur bella aliquo ritu; jus ab antiqua gente Aequicolis, quod nunc fetiales habent, descripsit, quo res repetuntur. Legatus, ubi ad fines eorum venit, unde res repetuntur, capite velato filo, lanae velamen est, *Audi, Jupiter*, inquit, *audite, fines*, cujuscunque gentis sunt, nominat, *audiat Fas. Ego sum publicus nuntius populi Romani: juste pieque legatus venio, verbisque meis fides sit.* Peragit deinde postulata. Inde Jovem testem facit: *Si ego injuste impieque illos homines illasque res*

dedier nuntio populi Romani mihi exposco, tum patriae compotem me nunquam sinas esse. Haec, quum fines suprascandit; haec, quicunque ei primus vir obvius fuerit, haec, portam ingrediens; haec, forum; ingressus, paucis verbis carminis concipiendique jurisjurandi mutatis, peragit. Si non deduntur, quos exposcit, diebus tribus et triginta, tot enim sollemnes sunt, peractis, bellum ita indicit: *Audi, Jupiter, et tu, Juno, Quirine, Diique omnes coelestes, vosque terrestres, vosque inferni, audite. Ego vos testor, populum illum,* quicunque est, nominat, *injustum esse, neque jus persolvere. Sed de istis rebus in patria majores natu consulemus, quo pacto jus nostrum adipiscamur.* Cum his nuntius Romam ad consulendum redit. Confestim rex his ferme verbis Patres consulebat: *Quarum rerum, litium, causarum condixit pater patratus populi Romani Quiritium patri patrato priscorum Latinorum hominibusque Priscis Latinis; quas res dari, fieri, solvi oportuit; quas res nec dederunt, nec fecerunt, nec solverunt, dic,* inquit ei, quem primum sententiam rogabat, *quid censes?* Tum ille: *Puro pioque duello quaerendas censeo; itaque consentio, consciscoque.* Inde ordine alii rogabantur: quandoque pars major eorum, qui aderant, in eandem sententiam ibat, bellum erat consensu. Fieri solitum ut fetialis hastam ferratam aut sanguineam praeustam ad fines eorum ferret; et, non minus tribus puberibus praesentibus, diceret: *Quod populi Priscorum Latinorum hominesque Prisci Latini adversus populum Romanum Quiritium fecerunt, deliquerunt: quod populus Romanus Quiritium bellum cum Priscis Latinis jussit esse, senatusque populi Romani Quiritium censuit, consensit, conscivit, ut bellum cum Priscis Latinis fieret: ob eam rem ego populusque Romanus populis Priscorum Latirorum hominibusque Priscis Latinis bellum indico facioque.* Id ubi dixisset, hastam in fines eorum emittebat. Hoc tum modo ab Latinis repetitae res, ac bellum indictum: moremque eum posteri acceperunt.

6. *Тарквиній Прискъ.*

Regnavit Ancus annos quatuor et viginti, cuilibet superiorum regum belli pacisque et artibus et gloria par. Jam

filii prope puberem aetatem erant: eo magis Tarquinius instare, ut quam primum comitia regi creando fierent. Quibus indictis, sub tempus pueros venatum ablegavit: isque primus et petisse ambitiose regnum, et orationem dicitur habuisse ad conciliandos plebis animos compositam: *Quum, se non rem novam petere: quippe qui non primus, quod quisquam indignari mirarive posset, sed tertius Romae peregrinus regnum affectet: et Tatium non ex peregrino solum, sed etiam ex hoste, regem factum: et Numam, ignarum urbis, non petentem, in regnum ultro accitum. Se, ex quo sui potens fuerit, Romam cum conjuge ac fortunis omnibus commigrasse: majorem partem aetatis ejus, qua civilibus officiis fungantur homines, Romae se, quum in vetere patria, vixisse: domi militiaeque sub haud poenitendo magistro, ipso Anco rege, Romana se jura, Romanos ritus didicisse. Obsequio et observantia in regem cum omnibus, benignitate erga alios cum rege ipso certasse.* Haec eum haud falsa memorantem ingenti consensu populus Romanus regnare jussit. Ergo virum, cetera egregium, secuta, quam in petendo habuerat, etiam regnantem ambitio est. Nec minus regni sui firmandi, quam augendae reipublicae memor, centum in Patres legit; qui deinde minorum gentium sunt appellati: factio haud dubia regis, cujus beneficio in curiam venerant.

Bellum primum cum Latinis gessit, et oppidum ibi Apiolas vi cepit: praedaque inde majore, quam quanta belli fama fuerat, revecta, ludos opulentius instructiusque, quam priores reges, fecit. Tum primum circo, qui nunc maximus dicitur, designatus locus est: loca divisa Patribus equitibusque, ubi spectacula sibi quisque facerent, fori appellati. Spectavere, furcis duodenos ab terra spectacula alta sustinentibus pedes: ludicrum fuit equi pugilesque, ex Etruria maxime acciti. Sollemnes deinde annui mansere ludi, Romani Magnique varie appellati. Ab eodem rege et circa forum privatis aedificanda divisa sunt loca; porticus tabernaeque factae.

7. *Сервій Туллій.*

Eo tempore in regia prodigium visu eventuque mirabile fuit. Puero dormienti, cui Servio Tullio nomen fuit,

caput arsisse ferunt multorum in conspectu. Plurimo igitur clamore inde ad tantae rei miraculum orto excitos reges: et quum quidam familiarium aquam ad restinguendum ferret, ab regina retentum: sedatoque eam tumultu, moveri vetuisse puerum, donec sua sponte experrectus esset. Mox cum somno et flammam abiisse. Tum abducto in secretum viro Tanaquil, *Viden, tu puerum hunc*, inquit, *quem tam humili cultu educamus? Scire licet, hunc lumen quondam rebus nostris dubiis futurum, praesidiumque regiae afflictae: proinde materiem ingentis publice privatimque decoris omni indulgentia nostra nutriamus.* Inde puerum liberum loco coeptum haberi, erudirique artibus, quibus ingenia ad magnae fortunae cultum excitantur. Evenit facile, quod Diis cordi esset. Juvenis evasit vere indolis regiae, nec, quum quaereretur gener Tarquinio, quisquam Romanae juventutis ulla arte conferri potuit; filiamque ei suam rex despondit. Hic quacunque de causa tantus illi honos habitus credere prohibet, serva natum eum, parvumque ipsum servisse. Alii, Corniculo capto, Ser. Tullii, qui princeps in illa urbe fuerat, gravidam viro occiso uxorem, quum inter reliquas captivas cognita esset, ob unicam nobilitatem ab regina Romana prohibitam ferunt servitio, partum Romae edidisse Prisci Tarquinii domo. Inde tanto beneficio et inter mulieres familiaritatem auctam, et puerum, ut in domo a parvo eductum, in caritate atque honore fuisse: fortunam matris, quod capta patria in hostium manus venerit, ut serva natus crederetur, fecisse.

Tarquinium moribundum quum, qui circa erant, excepissent, illos fugientes lictores comprehendunt. Clamor inde consursusque populi, mirantium quid rei esset. Tanaquil inter tumultum claudi regiam jubet, arbitros ejecit: simul, quae curando vulneri opus sunt, tanquam spes subesset, sedulo comparat: simul, si destituat spes, alia praesidia molitur. Servio propere accito quum paene exsanguem virum ostendisset, dextram tenens orat, ne inultam mortem soceri, ne socrum inimicis ludibrio esse sinat. *Tuum est*, inquit, *Servi, si vir es, regnum; non eorum, qui alienis manibus pessimum facinus fecere. Erige te, Deosque duces sequere, qui clarum hoc fore caput divino*

quondam circumfuso igni portenderunt. Nunc te illa coelestis excitet flamma. nunc expergiscere vere. Et nos peregrini regnavimus. Qui sis, non unde natus sis, reputa. Si tua re subita consilia torpent, at tu mea sequere. Quum clamor impetusque multitudinis vix sustineri posset, ex superiore parte aedium per fenestras, in novam viam versas, habitabat enim rex ad Jovis Statoris, populum Tanaquil alloquitur: jubet *bono animo esse: sopitum fuisse regem subito ictu: ferrum haud alte in corpus descendisse: jam ad se redisse. Inspectum vulnus, absterso cruore: omnia salubria esse: confidere, prope diem ipsum eos visuros. Interim Ser. Tullio jubere populum dicto audientem esse. Eum jura redditurum, obiturumque alia regis munia esse.* Servius cum trabea et lictoribus prodit; ac sede regia sedens alia decernit, de aliis consulturum se regem esse simulat. Itaque, per aliquot dies, quum jam expirasset Tarquinius, celata morte, per speciem alienae fungendae vicis suas opes firmavit. Tum demum palam facto, et comploratione in regia orta, Servius praesidio firmo munitus, primus injussu populi, voluntate Patrum, regnavit. Anci liberi, jam tum comprehensis sceleris ministris, ut vivere regem, et tantas esse opes Servii nuntiatum est, Suessam Pometiam exsulatum ierant.

Nec jam publicis magis consiliis Servius, quam privatis, munire opes. Et, ne qualis Anci liberûm animus adversus Tarquinium fuerat, talis adversus se Tarquinii liberûm esset: duas filias juvenibus regiis, Lucio atque Arunti Tarquiniis, jungit. Nec rupit tamen fati necessitatem humanis consiliis, quin invidia regni etiam inter domesticos infida omnia atque infesta faceret. Peropportune ad praesentis quietem status bellum cum Vejentibus, jam enim induciae exierant, aliisque Etruscis sumtum. In eo bello et virtus et fortuna enituit Tullii; fusoque ingenti hostium exercitu, haud dubius rex, seu Patrum, seu plebis animos periclitaretur, Romam rediit. Adgrediturque inde ad pacis longe maximum opus: ut, quemadmodum Numa divini auctor juris fuisset, ita Servium conditorem omnis in civitate discriminis ordinumque, quibus inter gradus dignitatis fortunaeque aliquid interlucet, posteri fama ferrent. Censum enim



instituit, rem saluberrimam tanto futuro imperio: ex quo belli pacisque munia non viritim, ut ante, sed pro habitu pecuniarum fierent. Tum classes centuriasque et hunc ordinem ex censu descripsit, vel paci decorum, vel bello.

Ex iis, qui centum millium aeris, aut majorem censum haberent, octoginta confecit centurias, quadragenas seniorum ac juniorum. Prima classis omnes appellati. Seniores, ad urbis custodiam ut praesto essent: juvenes, ut foris bella gererent. Arma his imperata, galea, clipeum, ocreae, lorica, omnia ex aere; haec ut tegumenta corporis essent. Tela in hostem, hastaque et gladius. Additae huic classi duae fabrum centuriae, quae sine armis stipendia facerent; datum munus, ut machinas in bello ferrent. Secunda classis intra centum usque ad quinque et septuaginta millium censum instituta; et ex his, senioribus junioribusque, viginti conscriptae centuriae: arma imperata, scutum pro clipeo, et praeter loricam omnia eadem. Tertiae classis in quinquaginta millium censum esse voluit: totidem centuriae et hae, eodemque discrimine aetatum, factae: nec de armis quidquam mutatum; ocreae tantum ademtae. In quarta classe census quinque et viginti millium, totidem centuriae factae: arma mutata; nihil praeter hastam et verutum datum. Quinta classis aucta, centuriae triginta factae: fundas lapidesque missiles hi secum gerebant, in his accensi, cornicines, tibicinesque, in tres centurias distributi. Undecim millibus haec classis censebatur. Hoc minor census reliquam multitudinem habuit: inde una centuria facta est, immunis militia. Ita pedestri exercitu ornato distributoque, equitum ex primoribus civitatis duodecim scripsit centurias. Sex item alias centurias, tribus a Romulo institutis, sub iisdem, quibus inauguratae erant, nominibus fecit. Ad equos emendos dena millia aeris ex publico data; et, quibus equos alerent, viduae attributae, quae bina millia aeris in annos singulos penderent. Haec omnia in dites a pauperibus inclinata onera. Deinde est honos additus; non enim, ut ab Romulo traditum ceteri servaverant reges, viritim suffragium eadem vi eodemque jure promiscue omnibus datum est: sed gradus facti, ut neque exclusus quisquam suffragio videretur, et vis omnis penes primores civitatis esset. Equites enim vocaban-

primi; octoginta inde primae classis centuriae: ibi si variaret, quod raro incidebat, ut secundae classis vocarentur: nec fere unquam infra ita descenderent, ut ad infimos pervenirent. Nec mirari oportet, hunc ordinem, qui nunc est, post expletas quinque et triginta tribus, duplicato earum numero, centuriis juniorum seniorumque, ad institutam ab Ser. Tullio summam non convenire; quadrifariam enim urbe divisa regionibus collibusque, quae habitabantur partes, tribus eas appellavit, ut ego arbitror, ab tributo: nam ejus quoque aequaliter ex censu conferendi ab eodem inita ratio est. Neque hae tribus ad centuriarum distributionem numerumque quidquam pertinuere.

